

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (14)

4.3. DE PRIMO MISSIONARIO ITINERE AFRICANO

4.3.1. De ipso itinere eiusque scopo

Cum Norbertus Weber non solum esset abbas monasterii, sed insimul etiam superior generalis Congregationis Otteliensis, sub utroque aspectū, id est monastico et missionario, responsalitas ei erat. Propter totum scopum Congregationis quaestio missionaria erat magni momenti et superiori hac quōque in re conspectus necessarius erat. Nam non solum multa, quae ad missionem spectabant, in monasterio domestico decernebantur,¹ sed ad has res decernendas ipsae condiciones in regione missionariā vigentes respiciendae erant.

Itaque Norbertus Weber, postquam condiciones domesticas, quae in initio munieris instabant, ordinavit, decrevit necessarium esse, ut ipse visitationis iter in Africanam regionem missionariam susciperet.² Voluit enim īdem veras condiciones in missione vigentes propriis oculis percipere atque dijudicare, qualis status esset. Tale iter etiam eā de causā paulatim aliquatenus urgens esse videbatur, quia Norberti Weber praedecessores superiores generales P. Andreas Amrhein et abbas Ildefonsus Schober ipsi visitationem Africanam numquam exhibuerant. Nam P. Andreas Amrhein in consociatione instituēdā nimis occupatus erat atque, quamvis īdem saepe in itinere fuisse, absentia tam diurna re nondum stabilitā non erat opportuna et abbas Ildefonsus Schober pluribus muneribus oppressus insuper valetudine infirmā affectus iter tam laboriosum suscipere non valuit.³

¹ Sic ex. gr. agebatur de eruditione missionariorum futurorum (sive erant patres sive erant fratres conversi), de fratribus patribusque eligendis, qui in regionem missionariam mitterentur, de pecuniā pro missione acquirendā et sic porro.

² Cfr. Cyrill SCHÄFER: Stella maris. St. Ottilien 2005, pp. 77; Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.): Lebensbilder aus dem Bayerischen Schwaben. 11. Weißenhorn 1976, p. 336; Johannes MAHR: «Sein Reich ist zunächst auf dieser Welt». Erzabt Norbert Weber als Organisator benediktinischer Missionsarbeit. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 115; Frumentius RENNER: Mutterabtei St. Ottilien und Entfaltung der Kongregation. In: Frumentius RENNER (ed.): Der fünfarmige Leuchter. II. St. Ottilien ²1992, p. 12; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 132.

³ Condicio, quā Ildefonsus Schober secundam periodum munieris superioris generalis susciperet, fuerat in eo, quod dispensatione Vaticanā acceptā visitatio Africana ipsi non

Norbertus Weber ergo se iter Africanum decursū anni 1905ⁱ incohaturum esse constituerat. Sed cum hōc consilium innotesceret, variis ex causis in tranquillitas atque resistantia quaedam et in patriā et in missione inter monachos Ottilianos exortae sunt.⁴ Domi enim confratres timuisse videntur, ne abbas valetudinem satis firmam non haberet, ut tale iter laboriosum sustinere. Noluerunt autem tam celeriter abbatem recenter electum iterum amittere. Qui timores certe aliquatenus intellegi possunt. Magis tamen mirandum est etiam ex regione missionariā resistantiam quandam contra hōc iter superioris generalis percipi. Nam P. Thomas Spreiter ex missionariā statione Luculedi die 22^o m. Febr. a. 1905^o epistulam ad abbatem primatem Hildebrandum de Hemptinne direxit, quā eundem rogavit, ut iter Africanum Norberti Weber impediret.⁵ Quae fuerit vera causa huius rogationis non appareat, sed Thomas Spreiter scripsit se hunc in modum tantummodo studere, ut «*difficilis status abbatis superiorisque generalis in monasterio Ottiliensi facilitaretur atque eius auctoritas, quā ad opera efficaciter exanclanda omnino indigeret, fortificaretur.*» Quomodo autem hōc argumentum cum itinere cohaeserit vel quantum ad īdem prohibendum valuerit, non satis clarum est. Nihilominus Thomas Spreiter in eādem epistulā rogavit, ut abbas primas quam celerrime ab Congregatione de Propagandā Fide visitationem extraordinariam peteret, antequam Norbertus Weber proficiseretur.

Cur quidam missionarii (certe non omnes) praesentiam atque inspectionem ipsius abbatis superiorisque generalis tantopere timuisse videntur vel sibi molestam esse putabant? Suspicandum quidem est eos vias suas quadamtempore separatas, quae inde ab initio exortae sunt, perturbari noluisse mandatis atque postulatis superioris generalis. Tamen alterā ex parte visitatio Vaticana rogatur, unde quaerendum est, num haec resistantia fortasse sive cum ipsa persona Norberti Weber cohaeserit sive generaliter cum munere superioris generalis.⁶ Num haec epistula Romae effectum quendam exseruisset, non

erat facienda. - *Cfr* supra cap. 3.3.4.

Ut tamen aliquis ex Ottilianis ut cooperator condiciones Africanas inspiceret atque de hac re domum referret, anno 1900^o P. Thomas Spreiter in regionem missionariam est missus. - *Cfr* supra cap. 3.4.1.1.

⁴ *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 77; Johannes MAHR (2003), p. 116.

⁵ Johannes MAHR (2003), p. 116 partes ex hac epistulā Theodisce scriptā depromptas affert. Ipsa epistula in archivo Sancti Anselmi asservatur.

⁶ Unā ex parte deliberandum est, utrum P. Thomas Spreiter omnino suā sponte hanc epistulam scripserit an ab praeposito suo missionario, id est ab Vicario Apostolico episcopo Cassiano Spiss instigatus sit. Alterā ex parte mirum atque notatū dignum est

innotuit. Similiter non exakte manifestatur, num Norbertus Weber ipse aliquid de hac epistulā sciverit.⁷

Itaque ut omnibus confratribus et in patriā et imprimis in regione missionariā versantibus scopum itineris sui explicaret, Norbertus Weber die 28^o m. Mart. a. 1905^o epistulam circularem ad omnes monachos Ottilianos direxit.⁸ Magni momenti hōc in conexū ei est unitas Congregationis, id est domo matrīce, domibus filiis et missione corpus quoddam organicum effici.⁹ Nam talibus cogitationibus epistula incohatur. His similibusque verbis Norbertus Weber exprimere vult monachos Ottilianos in patriā operantes et monachos missionarios artissimē cohaerere atque invicem alias de aliis dependere nullā praeponderantiā alicuius partis vigente.¹⁰ Nam Congregationem tantummodo utroque principio, id est monastico et missionario, insimul valente exsistere posse.¹¹ Abbas tamen bene scit in his principiis opportune coniungendis interdum difficultates exoriri, cum opus missionarium cum vitā monasticā collidere videatur atque solutiones non ita facile inveniantur.¹² Itaque unus ex scopis itineris - ut scribit - est in eo, ut sub fundamento caritatis tales difficultates superentur atque hunc in modum Congregatio foveatur.¹³ Sed etiam alium scopum itineris faciendi Norbertus Weber habet. Nam hōc iter est vera quoque visitatio, quā ipse inspectione atque experienciis propriis condiciones missionarias melius atque rectius dijudicare conatur, ut hunc in modum Congregationem melius ducat atque eruditionem missionariorum futurorum opportunius instituat. Est enim - ut scribit - officium severum, quo

ipsum Thomam Spreiter hanc epistulam scripsisse, qui annis insequentibus saepissime atque iterum iterumque erga diversos homines sententias criticas de abbe protulerat.

⁷ Tamen suspicandum est abbatem primatem Norbertum Weber de hac re certiore fecisse. Praeterea ex ipsā epistulā circulari, quam Norbertus Weber ante iter scripsit, apparet abbatem Ottiliensem ad timores atque praedeliberationes monachorum suorum respondere. Inde concludi potest eum aliquid de epistulā Thomae Spreiter scivisse, etiamsi eandem expressis verbis non commemoravit.

⁸ Huius epistulae textus originaliter Theodiscus manualiter descriptus invenītur in Ann. Ott. m. Mart. a. 1905, pp. 8-15 (ASO, A.3.4.4).

⁹ Cfr Norberti Weber epistula circularis diei 28.3.1905, p. 9 (ASO, A.3.4.4).

¹⁰ Cfr Norberti Weber epistula circularis diei 28.3.1905, p. 9 (ASO, A.3.4.4).

¹¹ Cfr Norberti Weber epistula circularis diei 28.3.1905, p. 10 (ASO, A.3.4.4).

¹² Cfr Norberti Weber epistula circularis diei 28.3.1905, p. 10 (ASO, A.3.4.4).

¹³ Cfr Norberti Weber epistula circularis diei 28.3.1905, p. 11 (ASO, A.3.4.4).

superior generalis condiciones missionarias funditus cognitas habet.¹⁴ Itaque ex itinere sibi sperat fore, ut meliorem cognoscentiam missionis sibi acquirat et ut eius muneribus difficultatibusque, eius indigentiis effectibusque, eius progressibus cognitis atque regione, hominibus, climate modoque vivendi recte diiudicatis etiam effectus maxime opportunus in domum matrīcem exseratur.¹⁵ Nam abbas unā ex parte in domo matrīce sit oportet magister vitae monasticae, alterā ex parte fautor promotorque muneris missionarii esse debet.¹⁶

Clare ergo et distinete abbas explicuit, quibus ex causis iter Africanum suscepturus esset. Sed etiam apparet, qualem perceptionem muneris sui habeat et quid sentiat de problemate, quo agitur de vitā monasticā atque missionariā coniungendā.¹⁷

Ipsum autem iter Norbertus Weber incohavit die 27^o m. Apr. a. 1905^o monasterium Ottiliense relinquens.¹⁸ Eum comitatus est P. Cyrillus Wehrmeister,¹⁹ qui illo tempore erat procurator missionum atque redactor periodicorum missionariorum.²⁰ Norberto autem Weber erat propositum, ut in itinere

¹⁴ *Cfr* Norberti Weber epistula circularis diei 28.3.1905, p. 11 (ASO, A.3.4.4). - Subiungit autem idem non esse parvum detrimentum, si superior generalis talia non bene scit.

¹⁵ *Cfr* Norberti Weber epistula circularis diei 28.3.1905, pp. 12/13 (ASO, A.3.4.4).

¹⁶ *Cfr* Norberti Weber epistula circularis diei 28.3.1905, p. 13 (ASO, A.3.4.4).

¹⁷ De hac quaestione fusius *cfr* infra.


¹⁸ *Cfr* Norbert WEBER: Reisetagebuch Afrika 1905, p. 2 (typoscriptum in archivio Ottiliensi asservatum (ASO, A.1.8.1). - De profectione *cfr* etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 77; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (21992), p. 12; solum mensem Aprilem sive tempus vernale indicantes Siegfried HERTLEIN: Benediktinische Missionsmethode in Ostafrika. Idee und Wirklichkeit. In: Siegfried HERTLEIN / Remigius RUDMANN (edd.): Zukunft aus empfangenem Erbe. St. Ottilien 1983, p. 99; Frumentius RENNER: Weber (1976), p. 336; Godfrey SIEBER (1992), p. 132.

¹⁹ Praeterea iter usque ad urbem Daressalam participaverunt Fr. Andreas Scholzen et Fr. Damianus Stockmeier, qui opera sua in regione missionariā incohaturi erant.

²⁰ Cyrillus Wehrmeister de toto itinere librum ducentarum quinquaginta sex paginarum multis imaginibus instructus composuit, quo non solum singulas stationes missionarias descriptsit, sed etiam in cultum civilem variarum tribuum Africanarum, in indolem indigenarum atque in alias quaestiones incubuit. (Cyrillus WEHRMEISTER: Vor dem Sturm. St. Ottilien 1906). - Multis autem in locis libri sui Cyrillus Wehrmeister diario Norberti Weber utebatur, cum sive eius textum ipsum ad verbum afferret sive eius descriptionem sequeretur (imprimis de illis temporibus, quibus non unā fuerunt). Tamen Norbertus Weber diario suo inde ab profectione etiam singulos locos eventūsque itineris usque ad Africam exhibet, cum Cyrillus Wehrmeister in libro suo ab

unamquamque Africanam stationem missionariam, quae ad Congregationem Ottilianam pertinuit, adiret ibique per aliquod spatium temporis commoraretur.²¹

Kalendis Maiis a. 1905ⁱ itinerantes Genuae navem concenderunt,²² quā per Mare Mediterraneum atque per canalem Suesensem ad litus orientale Afri-
cae pervenērunt. Die 24^o m. Maii a. 1905^o navis breviter ante insulam Zan-
guebariam substiterat.²³ Illuc autem Vicarius Apostolicus Cassianus Spiss
venire voluerat - ut duobus diebus ante telegraphice annuntiaverat - ad abba-
tem eiusque comites salutandos reci-
piendosque.²⁴ Sed īdem ibīdem non
apparuit.²⁵ Tamen diu ante insulam non
commorabantur, sed paucis horis post
navis iterum profecta est et eodem die
denique ad portum Daressalamensem
appulit, ubi itinerantes statim ab confratribus P.re Antonio Ruedel, P.re



Cyrillus Wehrmeister.
[ASO, A.1.8.2 (acta personalia)]

navigazione Genuae incohata usque ad appulsum in urbem Daressalam res solum
breviter commemoret et deinde omnia fuse tractet.

²¹ Hoc iam annuntiaverat atque promiserat Norbertus Weber in epistulā circulari diei 28ⁱ m. Mart. a. 1905^o, p. 15 (ASO, A.1.8.1), ubi scripsit se omnes visitaturum esse neque «ullam stationem neglecturum esse».

Secundum Frumentium RENNER: Weber. In: *Lebensbilder* (1976), p. 336 in initio anni 1904ⁱ in Africanā missione Ottilianā undecim patres Ottiliani (episcopo adnumerato), tres patres Beuronenses, Trappista quidam et duodeviginti fratres Ottiliani operabantur.

²² Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), pp. 6 sq. (ASO, A.1.8.1); Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 12; Johannes MAHR (2003), p. 117.

²³ Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 28 (ASO, A.1.8.1); Cyrilus WEHRMEISTER (1906), p. 3.

²⁴ Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 28 (ASO, A.1.8.1).

²⁵ Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 28 (ASO, A.1.8.1); Johannes MAHR (2003), p. 116. - Norbertus Weber et Cyrilus Wehrmeister praeter alia imprimis suspiciati erant episcopum navem vaporariam contingere non valuisse.

Bernardo Busch atque F.re Villelmo Liebers exspectabantur.²⁶ Deinde officialis sollemnisque receptio in ecclesiā locum habuit. Episcopus autem Cassianus Spiss non aderat, sed telegraphema miserat se proximo die ventrum esse.²⁷ Tamen hoc non est factum, quā de causā in urbe Daressalam rumores paulatim iam exoriebantur dissensionem quandam inter abbatem atque episcopum exstare.²⁸ Denique die 26^o m. Maii a. 1905^o Cassianus Spiss advēnit²⁹ et abbatem Norbertum Weber salutavit hospitemque curare coepit. Has condiciones nunc breviter commemoravi, cum inde quoque apparere videtur non omnes missionarios abbatem superioremque generalem regionem missionariam invisere atque inspicere libenter voluisse. Ad quos videtur etiam Vicarius Apostolicus quadamtenus pertinuisse.³⁰

Norbertus Weber nonnullos dies in urbe Daressalam mansit, quo spatio temporis Cassiano Spiss comitante et varios homines visitavit et nonnullas excusiones fecit.³¹ Denique die 4^o m. Iun. a. 1905^o Norbertus Weber et Cyrilus

²⁶ Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 29 (ASO, A.1.8.1); Cyrilus WEHRMEISTER (1906), pp. 3 sq.; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 12; Frumentius RENNER: Weber. In: Lebensbilder (1976), p. 336.

²⁷ Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 29 (ASO, A.1.8.1); Johannes MAHR (2003), p. 116.


²⁸ Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 30 (ASO, A.1.8.1), qui adnotat hanc condicionem paualtim paene ingratum fieri.

²⁹ Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 30 (ASO, A.1.8.1). Ut Norbertus Weber commemoravit, «*Reverendissimus aliquatenus animi depressione affectus erat et itaque receptio quoque quadamtenus frigidiuscula videbatur.*» (Textus originaliter Theodiscus).

³⁰ Hōc in conexū scitū digna sunt ea, quae Norbertus Weber Kalendis Iuniis a. 1905ⁱ in diario suo adnotat (Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 35 (ASO, A.1.8.1)), ubi scripsit haec: «*Omnia vitare soleo, quibus auctoritatem meam superioris generalis nimis acriter exhibeam. [...] Sententiā meā Reverendissimus* (i.e. episcopus Cassianus Spiss) *nimis unilateralis et quadamtenus nimis zelotypus est. P.ris Simonis symbolā in actis diurnis Daressalamensibus divulgatā, quā benevolo quidem animo scriptā quaedam vitiosa sunt prolata, ex. gr. omnes cooperatores missionis superiori generali subditos esse, porro me imprimis visitationis causā venisse, et de «caerimonii praescriptis in receptione», videtur idem offensus esse. Eo magis hac re doleo, quo unquamque simultatem vitare conor. Deo gratias etiam satis bene inter nos habemus.*» (Textus originaliter Theodiscus).

³¹ Etiam ad locum Pugu pervenērunt, ubi Ottiliani opera sua missionaria incohaverant et qui locus seditione Arabum iam anno 1889^o funditus delebatur. Norbertus Weber illuc ire voluerat, ubi initium missionis Ottilianaæ fuerat. - Cfr supra cap. 2.3.3.2.

Wehrmeister denuo profecti sunt iter suum continuantes. Episcopus autem Cassianus Spiss annuntiaverat se nonnullis septimanis post eos secuturum esse, ut in regione gentis Ungoni denuo cum ipsis conveniret. Navem ergo concidentes ad oppidum Lindi magis in meridie situm vecti sunt,³² ubi



*Charta geographica Germanicae Africæ Orientalis,
ubi etiam stationes itineris conspiciuntur.*

[John ILIFFE: *A Modern History of Tanganyika*. Cambridge 1979, p. 170
(quoad nomina Latina charta adaptata est).]

³² Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 38 (ASO, A.1.8.1); Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 4.

postmeridiano tempore diei 6ⁱ m. Iun. advēnērunt.³³ Ibīdem autem eos statim receperunt P. Thomas Spreiter, superior stationis Lukuledi, qui modo in oppido Lindi versabatur, et Fr. Gabriel Sonntag, qui Ottilianam procuram ibīdem sitam curabat, id est stationem, in quā materiae ex Europa missae colliguntur, componuntur et ad singulas stationes missionarias mittuntur.

Post brevem commorationem in oppido Lindi Norbertus Weber et Cyrillus Wehrmeister denique die 9^o m. Iun. a. 1905^o ad magnum iter in Africanas regiones interiores ducens profecti sunt,³⁴ quod iter maximā ex parte sive pedibus sive asinis utentes superaverunt. Eos comitati sunt P. Thomas Spreiter, qui ad stationem suam reverti voluerat, et Fr. Mauritius Kröhling, qui iam in toto paene Vicariatū operabatur et regiones hominesque bene noverat atque eā de causā munere «ducis periegetici» fungebatur.

Die 10^o m. Iun. a. 1905^o postmeridiano tempore in stationem Nyangao advēnērunt, ubi P. Leo Lang, superior illius stationis, et omnes cooperatores indigenaeque eos iam exspectaverunt sollemniterque eos receperunt.³⁵ Statio autem Nyangao, quae iuxta eiusdem nominis rivum, qui non longe distans in fluvium Lukuledi influit, sita est, iam anno 1896^o a P.re Antonio Ruedel condita erat.³⁶ In statione Nyangao Norbertus Weber et Cyrillus Wehrmeister circiter tres septimanas versabantur et ipsam stationem eiusque statum et locos circumiectos inspexerunt.

Illo tempore superior huius stationis erat P. Leo Lang, qui iam brevi spatio temporis, quo ibīdem operabatur, multa effecerat. Sic ex. gr. novas domos exstruendas curaverat, in quibus unā ex parte patres fratresque, alterā ex

³³ Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 40 (ASO, A.1.8.1); Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 6.

³⁴ Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 42 (ASO, A.1.8.1); Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 8. - Cfr etiam Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (2002), p. 13; Johannes MAHR (2003), p. 117, qui solum singulas stationes enumerat, quas Norbertus Weber adierat.

³⁵ Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 44 (ASO, A.1.8.1); Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 11.

³⁶ Cfr Cyrillus WEHRMEISTER (1906), pp. 12 sq.; Cyrillus WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1939, p. 45; Leander BOPP: Die ersten fünfzehn Jahre unserer Missionstätigkeit in Ostafrika 1887-1902. St. Ottilien 1956, pp. 74 sq. (typoscriptum in archivio Ottiliensi asservatum); Frumentius RENNER: Der fünfarmige Leuchter. I. St. Ottilien 2000, p. 311; Frumentius RENNER: Die Benediktinermission in Ostafrika - eine Überschau. In: Leuchter II (2002), p. 132; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 94.

parte sorores habitaverunt. Etiam novum aedificium scholae destinatum curaverat erigendum.³⁷ Sed idem etiam agriculturam varii generis non neglexerat. Maximi autem momenti - sicuti etiam in aliis stationibus - erat res



Virorum domus habitationis in statione Nyangao.
[Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 12.]

scholaris. Tempore visitationis non solum in ipsā statione Nyangao institutiones praebebantur, sed etiam octo scholae cum statione quidem cohaerentes, tamen in regione latiore sitae exstabant.³⁸ Munere magistrorum fungebantur praeter missionarios etiam viginti nigritae, qui iam in Ottilianis scholis missionariis instructi erant.³⁹ Hoc in conexū quaestio quoque erat maioris momenti, quae lingua in institutione scholari adhibenda esset. Nam missionarii Ottiliani variis ex causis putaverunt omnino opportunum esse Africanos primo sive sermone proprio sive, cum gens nimis parva esset,

³⁷ Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 44 (ASO, A.1.8.1); Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 13.

³⁸ Cfr Cyrillus WEHRMEISTER (1906), pp. 14 sq., qui etiam indicat illo tempore in summā quingentos viginti duos pueros et ducentas quadraginta puellas scholas Ottilianas huius stationis frequentavisse. - De scholis regionis missionariae paulo fusius cfr infra.

³⁹ Ceterum Norberto Weber, ut in diario itinerario scripsit (Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 49 (ASO, A.1.8.1)), instructio scholaris puellarum erat magni momenti, cum tali educatione mulieres ex humiliatione eripere vellet.

sermone Suahelico institui.⁴⁰



Nova schola in statione Nyangao.
[Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 16.]


Norbertus Weber et Cyrillus Wehrmeister non solum in ipsā statione Nyangao versabantur, sed etiam variis excursionibus externos locos cohaerentes visitaverunt, cum omnes condiciones ad missionem spectantes, velut indolem cultumque civilem gentium circumcirca habitantium, naturam plantasque, labores operariorum, institutiones scholares religiosasque, cohaerentiam indigenarum cum statione missionariā et sic porro, cognoscere vellent.⁴¹

⁴⁰ Illo tempore in statione Nyangao institutiones sermone Suahelico exhibebantur neque Theodisco. *Cfr* Cyrillus WEHRMEISTER (1906), pp. 18 sq.; Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 45 (ASO, A.1.8.1), qui scitū dignum subiunxit hunc in modum pueros effecto pernicioso Germanorum magis subtractos esse. - De totā hac quaestione paulo fusius *cfr* infra.

⁴¹ Plurimae huiusmodi observationes atque descriptiones in libro Cyrilli Wehrmeister inveniuntur, sed etiam in diario Norberti Weber multae adnotationes scitū dignae legi possunt. Sic ex. gr. aliquo loco non longe ab statione Nyangao sito operarios Africanos observavit, qui in arboribus caedendis atque serrā desecandis occupati erant. Lignum tractatum spectans Norbertus Weber scripsit relationes in Europa exhibitas, quibus in Africa nullum lignum ad usum aptum exstaret, esse omnino falsas. Nam ibīdem magnas arbores durissimi atque optimi ligni crescere, quocum etiam bonum lignum querceum vix comparari posset. Circiter viginti quinque genera arborum, quibus tale lignum

Ceterum Norbertus Weber rebus, quae in statione Nyangao viderat, valde contentus fuisse videtur.⁴²

Die autem 30^o m. Iun. a. 1905^o Norbertus Weber et Cyrillus Wehrmeister unā cum comitibus suis ex loco Nyangao profecti sunt stationem Lukuledi itinere pedestri unius diei distantem petituri, in quam Kalendis Iuliis merdiano tempore advēnērunt.⁴³ Ibīdem quoque visitatores sollemniter recipiebantur ab omnibus stationis inhabitibus atque Christianis circumcirca viventibus. Superior stationis Lukuledi illo tempore erat P. Thomas Spreiter.



Ecclesia stationis Lukuledi.
[Cyrillus WEHRMEISTER, 1906), p. 38.]

durissimum atque ad aedificandum aptum praeberetur, inveniri. Tamen laborem idem tractandi, qui serrā manuali adhibitā fieret, esse vere difficilem. - Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 46 (ASO, A.1.8.1).


⁴² In diario suo idem adnotaverat se indole praedisponendi P.ris Leonis Lang vere contentum esse, qui modo suo progrediendi stationem Nyangao firmius fundavisset et effectum missionis paucis annis post certe multo magis extensurum esset. - Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch (1905), p. 48 (ASO, A.1.8.1).

⁴³ Cfr Cyrillus WEHRMEISTER (1906), pp. 35 sqq. - Pro dolor typoscriptum diarrii itinerarii Norberti Weber die 18^o m. Iun. a. 1905^o finitur. Textus originalis usque ad finem itineris productus in archivo Ottiliensi quidem asservatur, sed est stenographice cum multis notis specialibus privatisque exaratus, ita ut mihi, quae tamen scripturā stenographicā aliquatenus sum perita, lectio sit difficillima. Specialistae hunc textum per occasionem transcribere debebunt.

Statio autem Lukuledi anno 1895^o ab P.re Mauro Hartmann, Praefecto Apostolico, condita erat.⁴⁴ Eadem non longe a fluvio eiusdem nominis sita maior erat quam statio Nyangao. Tamen eius initia similiter dura erant, imprimis etiam eā de causā, quia missionarii ibidem diutius magnas difficultates, quae ad aquam spectabant, habebant. Aedificium ecclesiae, quod tempore visitationis in usū erat, demum anno 1903^o erigebatur.⁴⁵

Similiter ac in statione priore Norbertus Weber et Cyrillus Wehrmeister non solum ipsam stationem missionarium Lukuledi inspexerunt, sed etiam varias

excursiones susceperunt, ut hunc in modum locos cohaerentes, ipsos indigenas et missionariorum modum operandi cognoscerent. Magni autem momenti erant oeconomia, agricultura atque scholae. In ipsa statione duo magistri indigenae munere fungebantur, ex quibus unus, Severinus, etiam organista erat. Praeterea P. Paulinus Hauser institutiones exhibuit atque P. Thomas Spreiter in catechesim discipulorum incubuit. Sed in statione Lukuledi indigenae etiam in variis muneribus opificum exanclandis instruebantur, quale opus utilissimum fratres conversi bene exhibebant. Ceterum satis magnum spatium loci circa ipsam stationem




Severinus magister organistaque.
[Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 41.]

⁴⁴ Cfr Cyrus WEHRMEISTER (1906), p. 38; Cyrus WEHRMEISTER: Die Entwicklung der Erzabtei und der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Lumen Caecis. St. Ottilien 1928, p. 161; Cyrus WEHRMEISTER (1939), p. 45; Beda DANZER: Die Benediktinerregel in der Übersee. St. Ottilien 1929, p. 78; Frumentius RENNER: Leuchter I (1972), p. 311; Frumentius RENNER: Benediktinermission. In: Leuchter II (1992), p. 132; Leander BOPP (1956), pp. 71 sqq.; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 94.

⁴⁵ Cyrus WEHRMEISTER (1906), p. 39 hanc ecclesiam satis amplam atque intrinsecus satis ornatam fuisse descriptsit, sed eam tamen tantummodo tectum graminibus confectum atque turrim simplicissimam pauperrimamque habuisse.

agriculturae destinatum erat.⁴⁶



Opificina lignaria in statione Lukuledi.
[Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 87.]

Postquam visitatores circiter tres septimanas in statione Lukuledi versati sunt, die 21^o m. Iul. a. 1905^o inde iterum profecti sunt unā cum duce suo, famulis atque baiulis.⁴⁷ Tendebant autem in directionem occidentalem regiones magis internas petituri. Voluerant enim stationem Peramiho adire. Ut intellegatur, quales distantiae superandae fuerint, in mentem revocandum est itinerantes undeviginti dies in viā fuisse, antequam finem migrationis adepti sunt.⁴⁸ Denique die 8^o m. Aug. a. 1905^o ad stationem Peramiho pervenērunt,


⁴⁶ Ut Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 40 scribit, ex illo tempore, quo régimen culturam gossypini instituendam curaverat, in statione Lukuledi satis magnus ager huic plantae destinabatur. Cyrillus Wehrmeister commentarium suum subiunxit scribens tunc demum talem culturam fore operae pretium, cum machina enucleatoria adesset atque expensae transportationis essent minores. Imprimis indigenis talem culturam gossypini fieri posse satis bonum fontem pecuniae accipiendae. Tamen culturam plantarum, quae ad vitam sustentandam spectarent, minui omnino non licere. - De problematis generalibus, quae cum cultura gossypini cohaerebant, *cfr* infra.

⁴⁷ *Cfr* Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 99.

⁴⁸ Cyrillus WEHRMEISTER (1906), pp. 100 sqq. etiam de singulis vicis refert, in quibus in itinere pernoctaverunt. Praeterea commemorat Norbertum Weber et semet ipsum iam

ubi modo solito sollemniter recepti sunt ab stationis superiore P.re Francisco Leuthner atque ab incolis ipsius stationis circumiectorumque.⁴⁹

Missionaria statio Peramiho, quae in regione populi, qui Ungoni appellantur, sita est, condita erat anno 1898^o ab P.re Cassiano Spiss.⁵⁰ Prima ergo fundamenta ibidem non solum aedificatoria, sed etiam missionaria idem posuerat. Pulchra ecclesia exstrui coepit iam anno 1900^o, cuius aedificatio inde ab mense Maio a. 1901ⁱ, postquam Fr. Mauritius Kröhling rem susceperebat, bene



Ecclesia stationis Peramiho.
[Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 119.]

primo die Anglorum stationem protestanticam Masasi, quae satis in propinquu stationis Lukuledi sita erat, breviter visitavisse (p. 100).

⁴⁹ Cfr Cyrilus WEHRMEISTER (1906), p. 117.

⁵⁰ Cfr Cyrilus WEHRMEISTER (1906), p. 118; Cyrilus WEHRMEISTER (1928), p. 161; Cyrilus WEHRMEISTER (1939), p. 46; Leander BOPP (1956), pp. 84 sqq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (21972), p. 311; Frumentius RENNER: Benediktinermission. In: Leuchter II (21992), p. 132; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 94; Godfrey SIEBER (1992), pp. 51 sqq.; Lambert DOERR: Peramiho 1898-1998. In the Service of the Missionary Church. I. Ndanda/Peramiho 1998, pp. 15 sqq.; MISSIONSBENEDIKTINER. Ein Klosterführer durch vier Kontinente. St. Ottilien 2008, p. 101.

progrediebatur, ita ut ecclesia mense Aprili a. 1902ⁱ usui tradi potuit. Cum Cassianus Spiss anno 1903^o episcopus factus esset,⁵¹ P. Franciscus Leuthner Beuronensis die 29^o m. Apr. a. 1903^o stationi Peramiho praeponebatur.

Etiam in statione Peramiho Norbertus Weber et Cyrillus Wehrmeister vitam cottidianam participaverunt atque omnes condiciones in ipsā statione et circumcirca eandem eorum intererat. Non solum scholas, sed etiam opificinas



*Ludus saltatorius puerorum in statione Peramiho exhibitus.
[Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 125.]*

visitaverunt, possibilitates agriculturae inspexerunt, statum missionis Christianae aestimaverunt et magni momenti eis iterum erat in cultum civilem gentium incumbere, quae illā in regione habitaverant.

Etiam in statione Peramiho Norbertus Weber exercitia spiritualia exhibuit. Ut missionarii quoque stationis Kigonsera, id est P. Iohannes Häflinger et Fr. Ivo Schweiger, éadem participare possent, Cyrillus Wehrmeister unā cum F.re Mauritio iam die 19^o m. Aug. a. 1905^o illuc profectus est,⁵² ut per paucos dies missionariis absentibus stationem tenerent.

Missionaria statio Kigonsera, quae non nimis longe ab statione Peramiho distabat, mense Octobri a. 1889ⁱ condita erat ab P.re Innocentio Hendle,

⁵¹ Cfr supra cap. 3.4.3.

⁵² Cfr Cyrus WEHRMEISTER (1906), p. 136.

quem in operibus exanclandis ab initio adiuverat Fr. Ivo Schweiger.⁵³ Erat locus amoenus atque frugifer, ubi primae domūs simplicissimae ergebantur. Statio magis florere coepit, cum P. Iohannes Häflinger superior adveniret.



Statio Kigonsera ex occidente recepta.
[Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 155.]

Tunc etiam domūs lapideae (pleraeque tegulis tectae) aedificatae sunt, id est ecclesiola, domus habitationis, schola, aedificium puerorum, horreum, de quibus aedificiis iterum Fr. Mauritius Kröhling bene meritus erat. Propter indolem modumque P.ris Iohannis etiam effectūs missionarii ibidem magis augebantur.

Cum Cyrillus Wehrmeister iam in statione Kigonsera versaretur, die 21^o m. Aug. a. 1905^o vir quidam advēnit, qui baiulus in oppido Kilwa fuerat, et nuntiavit in regione post Kilwam sitā seditionem quandam exortam esse.⁵⁴ Erant autem primi rumores huius rei, qui ad aures visitatorum missionario-rumque illius regionis pervēnerant. Sed condicionem seriam nondum existimaverunt.⁵⁵

⁵³ Cfr Cyrillus WEHRMEISTER (1906), pp. 157 sq.; Cyrillus WEHRMEISTER (1928), p. 161; Cyrillus WEHRMEISTER (1939), p. 46; Leander BOPP (1956), pp. 86 sqq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (21972), p. 311; Frumentius RENNER: Benediktinermission. In: Leuchter II (21992), p. 132; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 94; Lambert DOERR: Peramiho I (1998), pp. 30 sqq.

⁵⁴ Cfr Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 136.

⁵⁵ Tamen - ut Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 136 refert - illi baiuli, quos Ottiliani ad iter in regionem Uhehe faciendum iam conduxerant, timore quodam belli munus suscipere recusaverunt.

Exercitiis spiritualibus habitis die 25º m. Aug. a. 1905º etiam abbas Norbertus Weber in stationem Kingonseram advēnit.⁵⁶ Idem autem alios nuntios rumoresque perculi attulit. Tamen commoratio in statione Kigonsera diebus insequentibus simili modo transacta est ac in aliis stationibus, etiam excursiones quaedam in regionem circa Kigonseram sitam factae sunt. Nuntii autem diversi ex statione Peramiho et ex oppido Songea allati sunt, et negativi et positivi. Sed inde ex die 5º m. Sept. a. 1905º, quo sorores ex statione Peramiho ab P.re Francisco periculi causā missae in Kigonseram advēnerant, perceptio condicionis omnino mutabatur. Cogitandum erat de vitā servandā. Itaque illo temporis momento Norberti Weber visitatio erat interrupta atque iter praedispositum erat finitum. Alia consilia erant capienda.

Sed antequam sortem abbatis eiusque comitum atque totius missionis spectamus, primo saltem breviter incumbendum est in quaestionem, de quānam seditione actum sit et quae fuerint eius causae.

Digressio: DE SEDITIONE MAJI-MAJI APPELLATA

1. De Germanorum imperio coloniali

Régimen Germanicum in coloniā Africæ Orientalis, quod denique ad seditionem duxit, sub variis aspectibus dijudicandum est, nempe politico, oeconomico socialique. Quod attinet ad administrationem politicam, primo respiciendum est territorium, de quo agebatur, vere magnum fuisse, quod insuper circiter septuaginta miliones hominum incolebant. Inde iam apparet difficultas quaedam generalis, quae praeterea augebatur, quia ad coloniam administrandam non nimis multi officiales Germani praestabant, qui insuper in administratione civili non satis erudit erant. Régimen coloniae solutionem difficultatis principalis invenisse putavit in territorio subdividendo atque in hierarchiā administratoriā speciali modo instituendā.⁵⁷ Sic totum territorium

⁵⁶ *Cfr* Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 462.

⁵⁷ De his structuris *cfr* ex. gr. Detlef BALD: Afrikanischer Kampf gegen koloniale Herrschaft. Der Maji-Maji-Aufstand in Ostafrika. In: Militärgeschichtliche Mitteilungen 19, 1976, pp. 25 sqq.; Joseph F. SAFARI: Grundlagen aund Auswirkungen des Maji-Maji-Aufstandes von 1905. Kulturgeschichtliche Betrachtungen zu einer Heilserwartungsbewegung in Tansania. Diss. Köln 1972, pp. 50 sqq.; Detlef BALD: Deutsch-Ostafrika 1900-1914. Eine Studie über Verwaltung, Wirtschaft und Interessengruppen. Diss. Freiburg, pp. 65 sqq.; John ILIFFE: Tanzania under German and British Rule. In: B.A. OGOT (ed.): Zamani. A Survey of East African History. Nairobi 1974, pp. 297 sqq.; Ralph A. AUSTEN: Northwest Tanzania under German and British Rule. Colonial Policy and Tribal Politics, 1889-1938. New Haven / London 1968, pp. 71 sqq.; Rein-

in viginti quattuor districtūs divisum est, ex quibus oppida litoralia magistratis Germanis directe subdita erant, reliqua vero ab magistratibus districtuum unā cum administratoribus Africanis regebantur. Tamen illi Germani magistratūs districtuum maiore ex parte erant officiarii militares neque administratores civiles. Porro huiusmodi districtūs, qui plerique latiores erant quam hodiernae civitates regionales Germaniae Foederatae, subdivisi erant in plures regiones administrativas, quibus singulis praeverat «akida» quidam, qui dicitur. Tamen tales «akidae» semper ex alia regione exoriundi erant ac ex illā, cui praeverant, plerumque erant Arabes. Itaque - et hic videtur fuisse scopus - tales «akidae» non erant coniuncti cum ipso populo, sed sive proposita regiminis Germanici sive consilia propria secuti sunt. Sed exstabat praeterea stratum administrativum interius, cuius repraesentans erat «jumbe», qui dicitur et qui aliquatenus «burgimagister» sive «dux localis» appellari potest. Tales duces locales plerumque ex illā regione exoriundi erant, in quā munere praepositi fungebantur, quā de causā et condiciones locales et homines ibi habitantes noverunt. Illi duces locales ergo quadamtenus dominacionem traditionalem continuaverunt, imprimis cum iam antea in gente suā duces fuissent. Sed etiam erant tales duces locales, qui ex pluribus competitoribus ab regimine Germanico electi et instituti sunt.⁵⁸ Tali systemate administratorio distantia inter porpulum ipsum et stratum gubernandi intermedium et denique gubernium centrale nimis magna facta est.

Accessit, quod illi «akidae», quibus tributa colligere impositum erat et quibus etiam ius quoddam executivum erat, saepe munere abuti, peculata committere et crudelitate cum subditis agere solebant. Cum insuper manca substructura exstaret, quod attinet ad vias stratas, ferriviam modosque celeris

hard KLEIN-ARENDE: Ein Land wird gewaltsam in Besitz genommen. Die Kolonie Deutsch-Ostafrika. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.): Der Maji-Maji-Krieg in Deutsch-Ostafrika 1905-1907. Berlin 2005, pp. 35 sq.; Hubert GUNDOLF: Maji-Maji - Blut für Afrika. Auf den Spuren des 1905 in Ostafrika ermordeten Missionsbischofs Cassian Spiss OSB. St. Ottilien 1984, pp. 120 sq.; Sebastian Wolfgang NAPACHIHI: The Relationship between the German Missionaries of the Congregation of St. Benedict from St. Ottilien and the German Colonial Authorities in Tanzania 1897-1907. Ndanda / Peramiho 1998, pp. 152 sqq.; Karl-Martin SEEBERG: Der Maji-Maji-Krieg gegen die deutsche Kolonialherrschaft. Historische Ursprünge nationaler Identität in Tansania. Berlin 1989, pp. 54 sqq.; Walter NUHN: Flammen über Deutschost. Der Maji-Maji-Aufstand in Deutsch-Ostafrika 1905-1906. Bonn 1998, pp. 52 sqq.

⁵⁸ Sed nonnullis locis etiam tales duces, qui iam antea duces fuerant, ab gente suā agniti erant atque magni aestimabantur, sed qui ab Germanis non instituti erant, regere perrexerunt. Hunc in modum interdum systema quoddam parallelum exortum est.

communicationis, facultas, quā gubernium centrale strata administratoria intermedia custodire atque observare valuit, coartata neque efficax erat. Non autem sub talibus condicionibus est mirandum systema administratorium ab subditis non fuisse dilectum.

Sed alius aspectus paene maioris momenti erat, nempe oeconomicus, cum decretis hōc in conexū prolatis indigenae immediate atque vehementer afficerentur.⁵⁹ Cum unā ex parte administratio alicuius regionis pecuniā constaret, alterā ex parte Garmani etiam lucrum ex coloniā suā habere vellent, gubernium rationes instituit, quibus indigentias suas ad effectum adducere conabatur. Itaque iam anno 1898° introductum est «tributum tuguriorum», quod dicitur et quo illi, qui in tugurio sive domo cohabitaverunt, summam quandam solvere coacti erant. Lucrum ex hōc tributō partim gubernium centrale, partim aerarium districtū accepit.⁶⁰ Per nonnullos annos Africanis hōc tributum etiam rebus naturalibus, velut bovibus, solvere licuit. Tamen exactores tributorum saepe methodis tam ferocibus egerunt, ut interdum iam resistantia quaedam animadverteretur.⁶¹ Non minus mala erat methodus, quā

⁵⁹ De quaestione oeconomicā *cfr* ex. gr. Reinhard KLEIN-ARENDE: Ein Land wird gewaltsam in Besitz genommen. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), pp. 42 sqq.; Patrick KRAJEWSKI: Dampfer und Dhaus. Küstenhandel und Landwirtschaft vor dem Krieg (1890-1905). In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), pp. 28 sqq.; John ILIFFE: The Effects of the Maji Maji Rebellion of 1905-1906 on German Occupation Policy in East Africa. In: Prosser GIFFORD / Wm. Roger LOUIS (edd.): Britain and Germany in Africa. Imperial Rivalry and Colonial Rule. New Haven / London 1967, pp. 559 sq.; John ILIFFE (1974), p. 258; John ILIFFE: The Organization of the Maji Maji Rebellion. In: Journal of African History 8,3, 1967, pp. 497 sqq.; Horst GRÜNDER: Geschichte der deutschen Kolonien. Paderborn 2004, pp. 158 sq.; Detlef BALD (1970), pp. 68 sq.; Joseph F. SAFARI (1972), pp. 52 sq.; John ILIFFE: A Modern History of Tanganyika. Cambridge 1979, pp. 151 sqq.; Ralph A. AUSTEN (1968), pp. 73 sqq.; Hubert GUNDOLF (1984), pp. 122 sqq. Sebastian Wolfgang NAPACHIHI (1998), pp. 154 sq.; Karl-Martin SEEBERG (1989), pp. 56 sqq.; Walter NUHN (1998), pp. 58 sqq.

⁶⁰ Ius atque monopolium tributa colligendi etiam est signum, quo territorium quoddam potestati alicuius gubernii subicitur. - *Cfr* de tali conexū atque processū Norbert ELIAS: Der Prozess der Zivilisation. 2. Wandlungen der Gesellschaft. Entwurf zu einer Theorie der Zivilisation. Frankfurt/M 1988, pp. 142 sqq., 279 sqq.

⁶¹ Cum ex. gr. in aliquo vico incola quidam tributum solvere non valuit, exactores pecudem aliorum vi adhibitā sumpserunt non respicientes, num illi tributa sua iam solvisserent. Haec mala condicio etiam eā de causā aucta est, quia exactoribus denae centesimae tributorum collectorum attribuebantur. - Reinhard KLEIN-ARENDE (2005), p. 44 verba alicuius Africani afferunt, quibus īdem erga missionarium de condicionibus

Africani, cum debita solvere non valuerunt, ad labores coactivos exanclandos premebantur. Illi vero, qui hac poenā affecti erant, non solum ad tempus independentiam suam amiserunt, sed eis laborandum erat condicionibus difficilioribus et insuper propriam oeconomiam privatam curare non valuerunt.⁶²

Tamen inde ex anno 1901^o, quo Gustavus Adolfus von Götzen gubernator⁶³ Germanicae Africae Orientalis factus est, pressiones magis augebantur. Sic ex. gr. tributum postulabatur pro cervesia ab Africanis ipsis cocta,⁶⁴ decretis quibusdam anni 1903ⁱ venatio elephantorum atque traditionalis venatio retibus adhibitis vetabatur, praeterea quibusdam in regionibus Africani domos suas iuxta vias atque compita viarum erigere cogebantur, ut administratio facilitaretur. Denique die 22^o m. Mart. a. 1905^o decreto publico «tributum tuguriorum» mutatum est in censum capitis, quo uno ictū ab unoquoque tributum quadruplex postulabatur, quod insuper pecuniā solvendum erat.

Sed alia condicio maioris momenti commemorandum est. Nam gubernii agrariā politicā, quae desideria postulataque Germanicae industriae quaestuosaes xylini tractandi secuta est, magna praedia gossypinorum instituebantur. Unā ex parte multi coloni Germani talia praedia coluerunt, ad quae efficaciter sustentanda multis operariis Africanis indigebant. Tamen indigenae ibidem sive minimā mercede operabantur sive labores coactivos in praediis colonorum exanclaverunt. Alterā ex parte in regionibus septentrionalibus, litoribus meridionalibusque agricultae indigenae gossypinorum praedia communia, quae dicuntur, instituere iubebantur, id est agros, quos incolae alicuius vici duce locali observante communiter colere debebant. Sed difficultas praeterea erat in eo, quod lucrum ex talibus praediis communibus distributum est, id est tertiam partem gubernium accepit, altera tertia pars in manibus «akidarum» atque ducum localium mansit et reliqua tertia pars ipsis agricultis tradita est, et haec quidem saepissime uno anno post messem. Quod

questus est et quae erant haec: «Exactor tributorum peior est leone. Leo gallinam mihi aufert, sed pultem mihi relinquit, exactor insuper pultem aufert, ita ut non iam quicquam ad vivendum habeam.»

⁶² Sequela erat in eo, quod etiam proximum tributum solvere non potuerunt atque in circulum vitiosum inciderunt.

⁶³ Cfr René HOVEN: Lexique de la Prose Latine de la Renaissance. Dictionary of Renaissance Latin from prose sources. Leiden / Boston 2006, p. 237: s.v. *gubernator, -oris* B) *gouverneur (d'un pays, d'une région) / governor (of a country, of a region).

⁶⁴ Haec cervesia «Pombe» appellabatur.

Africani talibus condicionibus non ita contenti erant, facile intellegitur.

Omnia autem conamina administratoria, omnia decreta, omnes impulsūs agriculturae educationisque illo tempore fiebant in atmosphaerā, quae odio phylethico, contemptione indigenarum atque discriminatione phyleticā dirigeabantur.⁶⁵ Talibus sensibus phylethicis plerique coloni inter se coniuncti erant, sed etiam eiusdem animi cum gubernio se esse senserunt.⁶⁶ Praeiudicia, quibus putabatur nigritas sub aspectū oeconomico, politico, culturali moralique «hominibus albīs» esse inferiores, in totā coloniā vigebant. Ideologia dominatūs naturalis ad Europaeos pertinentis atque Darwinismus socialis, qui dicitur, florebant atque effectum exseruerunt in modum, quo Africani et decretis gubernii et ab colonis tractabantur.⁶⁷ Dicitur autem illud spatium temporis, quo Gustavus Adolfus von Götzen gubernium Germanicae Africae Orientalis tenuit, insigne fuisse condizione, quā differentiae politicae, oeconomicae socialesque inter omnes partes incolarum maxime auctae sunt.⁶⁸

2. De origine ideologie, quae «maji-maji» nuncupatur

Seditio, quae anno 1905^o in Germanicā coloniā Africae Orientalis exorta est, «maji-maji» appellatur. Quaerendum ergo est, unde nomen sumpserit et quomodo motio, quae denique ad seditionem duxit, incohata sit.⁶⁹

⁶⁵ De hōc probelmate *cfr* ex. gr. Detlef BALD (1970), pp. 71 sqq.; Detlef BALD (1976), pp. 45 sq.; Reinhard KLEIN-ARENKT: Ein Land wird gewaltsam in Besitz genommen. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), pp. 36 sqq.

⁶⁶ Quod illius temporis gubernator Africae Orientalis Gustavus Adolfus von Götzen tales opiniones phylethicos habuerat, etiam apparuit ex libro, quem de seditione scripserat. - *Cfr* ex. gr. Gustav Adolf VON GÖTZEN: Deutsch-Ostafrika im Aufstand 1905/06. Berlin 1909, pp. 19 sq., 30 sq. 63, 236 sq., 239, 242 passim.

⁶⁷ Scitū digna sunt, quae Hannah ARENDT: Elemente und Ursprünge totaler Herrschaft. Frankfurt/M 1955, pp. 285 sqq. de conexū inter grapheocratiam atque systematicam discriminationem phylethicam scripsit.

⁶⁸ *Cfr* Detlef BALD (1970), p. 73.

⁶⁹ De origine motionis *cfr* ex. gr. Jigal BEEZ: Mit Wasser gegen Gewehre. Die Maji-Maji-Botschaft des Propheten Kinjikitile. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), pp. 61 sqq.; Joseph F. SAFARI (1972), pp. 58 sqq.; Hubert GUNDOLF (1984), pp. 128 sqq.; Ernst-Günter LATTKA: Der religiöse Hintergrund des Maji-Maji-Aufstands in deutsch-Ostafrika 1905/06. In: Winfried BROSE / Ulrich VON DER HEYDEN (edd.): Mit Kreuz und deutscher Flagge. 100 Jahre Evangelium im Süden Tansanias. [Beiträge zur Missionswissenschaft und Religionsgeschichte. 3]. Münster 1993, pp. 115 sqq.; Robert I. ROTBERG: Resistance and Rebellion in British Nyasaland and German East Africa,

Origo autem huius nuntii motionisque invenītur in viro, cui nomen erat Kinjikitile Ngwale et qui vi medicatrīce praeditus fuisse dicitur.⁷⁰ Idem ex gente Ikemba exoriundus paucis annis ante initium seditionis in vico Ngarame octoginta chiliometris a litore distante sito habitationem suam instituerat. Medio anno 1904^o aliquid mirum accidisse dicitur. Nam ille Kinjikitile ab spiritū nomine Hongo captus atque in stagnum tractus disparuit, sed proximo die incolumis atque siccus ex eodem stagno egressus est. Ille vero spiritus Hongo secundum perceptionem religiosam illius regionis subditus erat deo nomine Bokero,⁷¹ qui erat deus principalis in regione iuxta Rufiji fluvium et cuius cultus etiam in meridiem atque occidentem extendebat. Ex illo tempore, quo disparuerat, Kinjikitile cum maioribus defunctis atque cum deo Koleo communicare valuit.

Maximi autem momenti erat, quod īdem hac communicatione visionem habuerat, cuius nuntium deinde dissipavit. Ex illo tempore semet ipsum etiam Bokero nominavit. Argumentum vero huius visionis erat hōc: omnes maiores defunctos reventuros esse ad auxilium contra hostes ferendum, praesentem perniciem gentium ex earum discordiā provenire, deum Koleo prophetae Kinjikitile mandavisce, ut gentes in libertatem duceret sub hac condicione, quā omnes essent consentientes, deum Koleo prophetae novum medicamen contra omnia mala valens dedisse.

Hic nuntius erat sicut semen, quod in terram frugiferam incidit, imprimis quia prophetae Kinjikitile sive Bokero contigit, ut perceptiones traditionales coniungeret atque modificaret et aliquid novi adiungeret, ita ut multi indigenae Africæ Orientalis tacti essent. Novum autem medicamen, quod Kinjikitile promiserat, constabat ex aquā ex fluvio Rufiji sumptā, quae cum milio cocta sive sumebatur sive in amuletum imposita gerebatur. Effectū tamen, qui huic medicamini attribuebantur, erant vere ampli. Nam adhibebatur contra morbos, contra ariditatem, contra animalia nociva, sed etiam pro

1888-1915: A Tentative Comparison. In: Prosser GIFFORD / Wm. Roger LOUIS (edd.) (1967), pp. 679 sq.; John ILIFFE: Modern History (1979), pp. 169 sqq.; John ILIFFE: Organization (1967), pp. 503 sqq.; Sebastian Wolfgang NAPACHIHI (1998), pp. 159 sq.; Karl-Martin SEEBERG (1989), pp. 27 sqq.; Walter NUHN (1998), pp. 66 sqq.

⁷⁰ Investigatores scientifici dicunt non omnino pro certo haberri posse, unde nuntius originem exacte sumpserit. Tamen plerique coaequales testesque illius temporis de viro Kinjikitile ut propheta nuntii recordati erant.

⁷¹ Qui etiam aliquatenus cognatus cum deo angue Koleo fuisse videtur, quā de causā cultus in regionem quōque septentrionalem spargebatur.

venatione efficace, pro bonā messe, pro fertilitate mulierum, pecudum agro-rumque. Sed quod erat punctum saliens, dicebatur idem etiam contra potentiam Germanorum auxilium ferre, quia eodem adhibito globuli ex sclopetis hostium emissi in aquam mutarentur atque innocivi redderentur. Medicamen autem appellabatur «maji», cum hōc verbō «aqua» significetur, unā ex parte ex consistentiā, alterā ex parte ex effectū quodam nomen sumens.

Novus vero nuntius celeriter dissipatus est, imprimis inde ab tempore vernali anni 1905ⁱ. Sic factum est, ut multi homines tamquam peregrinatione ad prophetam venirent, ut medicinam acciperent. Inter quos etiam erant duces aliquarum gentium, qui deinde medicamine accepto ipsi idem distribuerunt. Alia autem methodus ad «maji» dissipandum quoque adhibebatur. Nam Kinjikitile delegatos quosdam, quos Hongo appellavit, misit, qui ipsi medicinam distribuerunt et etiam alios reddiderunt delegatos ad «maji» medicinam distribuendam. Hunc in modum systemate «globuli nivalis» magnum rete exortum est.⁷² Tamen distantiā a centro auctā ipse nuntius etiam aliquatenus mutabatur atque perceptionibus regionalibus adaptabatur.

Maximi autem momenti erat, quod medicamine «maji» adhibito gentes antea adversariae coniungebantur atque hunc in modum «maji» factum est et ideologia communis et medium communicationis.


3. De ipso bello eiusque sequelis

Ideologiā dilatatā fundamentum quoddam positum est, quo aliquando ipsa seditio incohari potuit.⁷³ Provisum quidem erat, ut ipse Kinjikitile signum daret, cum tempus maturum esse putaret. Sed res paulo aliter evēnērunt, tamen eodem effectū. Nam primus impetus seditionis factus est, cum gens Matumbi propter compulsionem ad labores in praediis communibus exan-

⁷² Non omnes hanc medicinam eiusque ideologiam suā sponte acceperunt. Nonnulli delegati vi atque minis adhibitis homines ad rem accipiendam coegerunt. Alterā ex parte etiam erant quidam duces locales, qui tales delegatos «Hongo» appellatos interficiendos curaverunt.

⁷³ De cursū atque extentione belli *cfr* ex. gr. Detlef BALD (1976), pp. 33 sqq.; Joseph F. SAFARI (1972), pp. 71 sqq.; Felicitas BECKER: Von der Feldschlacht zum Guerillakrieg. Der Verlauf des Krieges und seine Schauplätze. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), pp. 74 sqq.; Robert I. ROTBERG: Resistance. In: Prosser GIFFORD / Wm. Roger LOUIS (edd.) (1967), pp. 680 sqq.; John ILIFFE: Modern History (1979), pp. 680 sqq.; John ILIFFE: Organization (1967), pp. 503 sqq.; Horst GRÜNDER (2004), pp. 160 sqq.; Sebastian Wolfgang NAPACHIHI (1998), pp. 162 sqq.; Karl-Martin SEEBERG (1989), pp. 63 sqq.; Walter NUHN (1998), pp. 74 sqq.

clandos patientiam amisit et tamquam signum belli plantas gossypini tali in praedio evellere coepit. Hoc evēnit mense Iulio a. 1905.⁷⁴ Inde seditio celeriter extendebatur, et hoc quidem extra fines gentis, quae initium fecerat, immo plurimae gentes participaverunt, quae hac in re simultates suas neglexērunt.



Extentio seditionis decursu temporis monstrata.
 [Detlef BALD (1976), p. 34 (quoad nomina Latina charta adaptata est).]

⁷⁴ De exacto termino investigatores adhuc disputant. Plerique quidem generaliter de mense Iulio loquuntur, cum ex. gr. Detlef BALD (1976), p. 34 putat tantummodo initium mensis Iulii in quaestionem venire, et Felicitas BECKER: Feldschlacht. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), p. 75 scribit impetum illum die 20^o m. Iul. factum esse.

Germanicae autem regimini coloniali tota condicio mansit imperspicua. Diutius vero administratores non intellexerant, quid in antecessum iam ageretur, quamvis quaedam signa iam animadverti potuissent. Talis ignorantia praeter alia etiam inde provenerat, quod régime nimis magnam distantiā ab indigenis servaverat. Itaque seditione eruptā Germani satis obstupefacti erant et régime in initio sive periculum vix intellexerat sive nuntiis publicis idem minuere conatum est.⁷⁵

Ipsa seditio in plures phases distingui potest. Prima phasis usque in mensem Augustum a. 1905ⁱ durabat atque in regione initiali ad Rufiji fluvium in septentrionem atque ad oppidum Kilwa in meridiem extendebatur, quo modo circiter quindecim milia chiliometrorum quadratorum complectebantur. Copiis autem Germanicis in hanc regionem intrare vix contigit. - Secundā phasi, quae usque ad finem mensis Septembris a. 1905ⁱ computanda est, paene totum territorium regionis meridionalis, id est usque ad Lacum Nyassa et ad fines Mozambici sub dictione Africanorum erat. Illo tempore régime copias suas quidem augere conabatur, sed potentia militaris nondum suffecit, ut seditio supprimi posset. Insuper videtur verus conspectus condicionis realis adhuc defuisse. - Tertiā phasi, quae usque ad finem mensis Ianuarii a. 1906ⁱ duravit, Germanorum praeponderantia militaris, quae quoque cum «qualitate» armorum cohaerebat, paulatim animadvertebatur. Praeterea seditio maximam extentionem territorialem in fine mensis Octobris sive in initio mensis Decembris a. 1905ⁱ acquisiverat, deinde participatio tot gentium diversarum effectum exseruit in rem praeordinandam, cum Germani singulas regiones seditionis separare et ditionem regionalem expetere valerent. - Quarta phasis seditionis ab mense Februario a. 1906ⁱ usque ad tempus vernalē a. 1907ⁱ durabat.⁷⁶ Illo spatio temporis regiones seditiones paulatim denuo in dicionem Germanicam vēnērunt, tamen inde ab aestate a. 1906ⁱ resistentia continuebatur in regione parami Makonde, in regione, quae in meridie oppidi Liwale usque ad fluvium Lukuledi extenditur, et in septentrionali parte districtū Songeani usque ad aream in septentrione oppidi Mahenge sitam.⁷⁷

⁷⁵ Cfr ex. gr. Detlef BALD (1976), p. 32; Joseph F. SAFARI (1972), p. 72; Horst GRÜNDER (2004), p. 160; Hubert GUNDOLF (1984), p. 142.

⁷⁶ Etiamsi ultimae relationes in actis officialibus mense Martio a. 1906ⁱ inveniri videntur et Gustavus Adolfus von Götzen in libro suo quoque de ultimis expeditionibus poenalibus mense Aprili sive mense Iunio a. 1906ⁱ factis scripsit (cfr Gustav Adolf VON GÖTZEN (1909), pp. 226 sqq.), tamen putandum est - ut periti dicunt - potestatem regiminis colonialis definitive restitutum fuisse clade gentis Ngoni anno 1908^o factā.

⁷⁷ Tamen illae regiones localiter inter se cohaerebant.

Quod bellum tam diu protractum est, cohaerebat etiam cum operandi modum Africanorum.⁷⁸ In initio enim seditionis pugnam apertam quaesiverunt et praedia Europaeorum, oppida, stationes missionarias, emporia copiasque militares aggressi sunt. Illis in pugnis saepe etiam magni coetūs seditiosorum congregati sunt. Cum seditiosi paulatim animadverterant «aquam magicam» non tam efficacem esse neque eādem contra sclopeta moderna Germanorum tutelam praeberi, «maji» quidem vim suam coniungendi non revera amisit, sed seditiosi strategemata sua mutaverunt. Nam partim ad bellum clandestinum sive bellum tectum transierunt. Hunc enim in modum meliorem cognoscentiam localem adhibere, milites Germanos ex improviso atque insidiis exhibitis aggredi atque etiam celeriter disparere valuerunt. Sic eis contigit, ut effectū sibi opportuniores perpetrarent atque copias Germanorum, quae ad talem modum omnino non assuefactae erant, in desperationem quandam ducerent. Imprimis tunc hic modus erat efficax, cum populus solidarietatem cum seditiosis monstravit.

Nihilominus ne hic quidem modus operandi seditiosis definitive profuit. Nam Germani praeter alia iam satis mature methodum adhibuerunt, quae vere crudelis erat et quā omnes partes populi - sive seditiosi sive non seditiosi - similiter afficiebantur, nempe strategema «terrae combustae», quod dicitur.⁷⁹ Sub hōc aspectū omnes vici (etiam recenter exstructi) delebantur, indigenis pecudes atque cibi adimebantur, agri vastabantur.⁸⁰ Effectus erat horribilis atque diutinus, cum maxima fames exoriebatur, ex cuius sequelis Africani bello finito per longius spatium temporis laborabant.⁸¹ Postquam

⁷⁸ De hac re *cfr* ex. gr. Detlef BALD (1976), pp. 37 sq.; Felicitas BECKER: Feldschlacht. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), pp. 81 sqq.; Robert I. ROTBERG: Resistance. In: Prosser GIFFORD / Wm. Roger LOUIS (edd.) (1967), pp. 682 sqq.; John ILIFFE: Modern History (1979), pp. 172 sqq.; Karl-Martin SEEBERG (1989), pp. 71 sqq.

⁷⁹ *Cfr* ex. gr. Ludger WIMMELSBRÜCKER: Verbrannte Erde. Zu den Bevölkerungsverlusten als Folge des Maji-Maji-Krieges. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), pp. 87 sqq.; John ILIFFE: Modern History (1979), pp. 196 sqq.; Horst GRÜNDER (2004), pp. 163 sq.; Detlef BALD (1976), pp. 40 sq.; Felicitas BECKER: Feldschlacht. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), pp. 75, 85 sq.; Joseph F. SAFARI (1972), pp. 82 sq.; Robert I. ROTBERG: Resistance. In: Prosser GIFFORD / Wm. Roger LOUIS (edd.) (1967), pp. 682 sq.; Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), pp. 53 sq.; Walter NUHN (1998), pp. 149 sq.

⁸⁰ Talia consilia iam mense Octobri a. 1905^o exorta esse apparet ex scripto Gustavi Adolfi VON GÖTZEN (1909), p. 149.

⁸¹ Scitū digna est relatio, quam P. Simon Trossmann divulgavit (*cfr* Simon TROSSMANN: Hungersonot in Ungoni. In: Missionsblätter 11, 1906/07, pp. 114 sqq.), quā de

seditione definitive suppressa est, maximus numerus indigenarum coloniae Africæ Orientalis mortem succubuerunt, ex quibus maior pars fame perierat.⁸²

4.3.2. De condicione missionis inter seditionem

4.3.2.1. *De fortuna regionis missionariae*

Postquam brevem conspectum generalem belli, quod Africani contra Germanos gesserant, praebuimus, nunc specialiter in condiciones incumbere volumus, quibus missionarii Ottiliani affecti sunt.

Primo referendum est de episcopo Cassiano Spiss, qui erat primus Benedictinorum victima illius belli.⁸³ Cassianus Spiss Kal. Aug. a. 1905^o ad oppidum

condicionibus in regione Ungoni vigentibus narravit. Idem miseriam explicuit, quam ipse cottidie vidit et quam missionarii lenire conabantur. Scripsit enim praeter alia, quamquam inde ex initio anni 1906ⁱ bellum magnā ex parte finitum esset, mensibus Aprili Maioque adhuc ius bellicum valuisse, quā de causā incolae in agris suis colendis impediti essent, et etiam postea eos ex merā licentiā ab agriculturā retentos atque persecutionem perppersos esse. Etiam regionem Nyassa, in quā incolae regionis Ungoni usque tunc cibos coemere potuissent, ab regimine seclusam esse atque penora, quae ibi inveniebantur, vilissimo pretio ad milites sustentandos capta esse. Sequelas esse magnam famem populi atque morbos et magnum numerum mortuorum. Aliam sequelam etiam in eo esse, quod multi homines regionem necessitate coacti relinquerent. Missionarios, quantum fieri potuisset, cibos distribuisse, sed etiam segetes, cum sine satione nulla messis futura esset. Tamen res nullo modo sufficere et calamitatem esse magnam.

⁸² Officialiter numerus septuaginta quinque milium victimarum indicabatur, sed investigatores scientifici putant fuisse ducenta quinquaginta milia usque ad trecenta milia mortuorum (etiam illos inclusos, qui bello finito fame perierant, qui revera etiam victimae belli erant).

⁸³ De sorte Cassiani Spiss *cfr* Cyrus WEHRMEISTER (1906), pp. 226 sq.; Hubert GUNDOLF (1984), pp. 150 sqq.; Lambert DOERR: Bishop Cassian Spiss (1866-1905). Missionary Pioneer and Martyr. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 242 sqq.; Godfrey SIEBER: Cassian Spiss (1866-1905). Bischof in Ostafrika. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 285 sqq.; Beda DANZER: Ein Martyrer-Bischof von Ostafrika. P. Kassian Spiss, O.S.B. 1861-1905. In: Eugen LENSE (ed.): Die in Deinem Hause wohnen. Menschen im Ordensland. Einsiedeln / Köln 1938, pp. 89 sqq. [annus 1861 in superscriptione indicatus videtur mendum typographicum esse, cum in textū ipso recte annus 1866 indicatur]; Linus LEBERLE: Märtyrerblut ist der beste Same für neues Christentum. St. Ottilien 1916, pp. 23 sqq.; Cyrus WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1939, pp. 47 sq.; Frumentius RENNER: Missionsbenediktiner und Dt. Benediktus-Missionsschwestern von St. Ottilien während des Maji-Maji-Aufstands in Ostafrika (1905). In: Helmut MOLL (ed.):

Kilwa pervenit, unde iter incohare voluit, quod eum ad missionarium statu-
men Peramiho duceret. Ibādem unā ex parte confirmationes praebere, alterā
ex parte - ut iam praenuntiaverat - cum abate Norberto Weber⁸⁴ convenire
voluit, ut cum eodem consultationes iniret.

Cum Cassianus Spiss adhuc in oppido Kilwa commoraretur, illuc perlati sunt
primi nuntii tumultuum, qui in montibus Matumbi exorti essent. Episcopus
de hac re certior factus profectionem suam paulisper distulit, usque dum con-
dicio perspicua esset. Sed nuntii non meliorabantur, e contrario, et vice-
gerens magistratus districtū episcopum graviter monuit, ne abiret, quia
nesciretur, quantopere seditio iam extenta esset.⁸⁵ Tamen Cassianus Spiss
decrevit se ad iter suum profectum esse. Nihilominus non sine praedelibe-
ratione hoc fecit. Nam unā ex parte officiis suis urgebatur, alterā ex parte iter
eum multo magis ad occidentem duxit et putavit se ab locis seditionis hunc
in modum magis discessurum esse, denique baiulos secum habuit ex gente
Wangoni appellatā, quam bene noverat et cui confidebat.⁸⁶


Zeugen für Christus. Das deutsche Martyrologium des 20. Jahrhunderts. II. Paderborn
⁴2006, pp. 1099 sq.; Joseph F. SAFARI (1972), p. 78; Sebastian Wolfgang NAPACHIHI
(1998), pp. 165 sqq.; Horst GRÜNDER: Christliche Mission und deutscher
Imperialismus. Paderborn 1982, p. 224; Frumentius RENNER: Benediktinermission. In:
Leuchter II (²1992), p. 135; Hans-Joachim NIESEL: Für Kreuz und Krone. Die
deutschen Missionen im Kriegs-gebiet. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005),
p. 104; Ernst-Günter LATTKA (1993), p. 116; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 80; Johannes
MAHR (2003), p. 117; Frumen-tius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (²1992), p. 12;
Irmengard BACHEM: Mutter M. Birgitta Korff OSB. München 1938, pp. 120 sq.; Walter
NUHN (1998), pp. 88 sqq.

⁸⁴ Mirum in modum Linus LEBERLE (²1916), p. 23; Beda DANZER (1938), p. 89; Horst
GRÜNDER (1982), p. 224; Hans-Joachim NIESEL: Kreuz und Krone. In: Felicitas
BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), p. 104 hōc in conexū de archiabbate scribunt,
quamvis Norbertus Weber illo tempore hunc titulum nondum habuerit.

⁸⁵ Ut ex epistulā, quam Gustavus Adolfus von Götzen die 31º m. Aug. a. 1905º ad
superiorem generalem Ottilianorum direxit, apparet, videntur officiales oppidi Kilwa
(imprimis Dr Lott) Cassianum Spiss compluries urgenter rogavisse, ut iter differret.
Cum īdem hōc nollet, Dr Lott significavit se responsalitatem suscipere non posse,
tamen episcopus affirmavit se ipsum periculum praestare velle. - Cfr epistula Gustavi
Adolfi von Götzen die 31º m. Aug. a. 1905º data (ASO, Daressalam 6).

⁸⁶ Ceterum putaverat seditiosos bene distinguere valere inter missionarios atque reliquos
Germanos Europaeosque, cum ipse talia iam expertus esset.

Itaque Cassianus Spiss die 5^o m. Aug. a. 1905^o unā cum comitibus suis⁸⁷ profectus est stationem Peramiho petiturus.⁸⁸ Grex itinerantium iam plus quam unam septimanam in viā erat atque oppido regionali Liwale appropinquavit, cum profugae eis occurrerent nuntiantes seditiosos illud oppidum cepisse multosque homines ibīdem interfecisse. Hōc factum est die 13^o m. Aug. a. 1905^o in vico Mitondo. Itaque episcopus decrevit proximo die omnes ad oppidum Kilwa reversuros esse. Noctū autem baiuli gentis Wangoni periculum seditionis timentes sarcinis derelictis aufugerunt.⁸⁹ Proximo ergo die, id est 14^o m. Aug. a. 1905^o, pauci reliqui iter redditū suscepérunt. Sed iam paulo post coetus indigenarum eis occurrit. Cassianus Spiss cum illis indigenis, qui ad seditiosos pertinere videbantur, colloquium iam instituerat, quo eis dixit, cur adesset et quo tenderet, et ab ipsis audivit eos ad locum Liwale ituros esse. Tamen inter hōc breve



*Crux memorialis anno 1938^o
pro Cassiano Spiss eiusque comitibus
in loco Mikukuyumbu constituta.
[ASO, A.I.8.2]*

⁸⁷ Cum ipso erant Fr. Gabriel Sonntag, qui iam inde ex anno 1903^o in regione missionaria operabatur, Fr. Andreas Scholzen, Sr. Cordula Ebert, Sr. Felicitas Hiltner, qui quaeve unā cum abate Norberto Weber anno 1905^o in Africam vēnerant atque ibīdem opera sua missionaria incohare voluerunt. Praeterea Cassianum Spiss comitati sunt iuvenilis Christianus quidam Anglicanus et duo famuli nigritae, Bernardus atque Leonardus. - De illis comitibus *cfr* ex. gr. Hubert GUNDOLF (1984), p. 153; Frumentius RENNER (42006), pp. 1100 sqq.; Lambert DOERR (2003), p. 186; Irmengard BACHEM (1938), p. 121; Berntina WALTER: Von Gottes Treue getragen. St. Ottilien 1985, p. 220.

⁸⁸ Administratores Germani Cassiano Spiss milites, ut tutelam in itinere haberet, praebere non valuerunt, quia non satis multi etiam ad oppidum defendendum aderant. Sed episcopo undecim sclopeta unā cum globulis tradita sunt.

⁸⁹ Memoratū dignum mihi esse videtur eos aufugisse neque hostiliter se contra missionarios vertisse.

colloquium dux coetus ex improviso hastā sumptā episcopum interfecit. Immediate post etiam sorores fratresque et iuvenis Anglicanus sagittis atque sclopeto vitas amiserunt. Illi duo famuli Bernardus atque Leonardus aufugere valuerunt⁹⁰ atque nuntium interitus missionariorum ad oppidum Kilwa pertulerunt.⁹¹ Haec calamitas facta est in loco, qui appellatur Mikukuyumbo.⁹²

Cum haec calamitas innotesceret, omnes valde territi erant, etiam régimen coloniae atque administratores Germani. Tamen inter bellum gubernator Gustavus Adolfus von Götzen die 26^o m. Dec. a. 1905^o memorandum,⁹³ quod dicitur, exhibuit, quo illius seditionis causas, quas fuisse putavit, explicare conatus est.⁹⁴ Ibīdem īdem praeter alia duobus locis etiam interfectionem episcopi Cassani Spiss commemoravit, quae effectum in seditionem exseruisset. Nam unā ex parte gubernator affirmat morte episcopi seditiosorum animum instigatum esse,⁹⁵ alterā ex parte sclopetis, quae seditiosi grege

⁹⁰ Illi famuli postea reverterant atque mortuos invenerant, quos tamen sepelire non valuerunt. Die 17^o m. Sept. a. 1905^o, id est uno mense post, milites Germani illo in loco ossa quaedam atque quattuor calvarias invēnērunt, quae ibīdem sepeliebant. In fine anni 1905ⁱ ossa relicta denuo efossa sunt atque ad oppidum Daressalam transportata, ubi die 28^o m. Dec. a. 1905^o in ecclesiā Sancti Iosephi condebantur. - *Cfr* ex. gr. Linus LEBERLE (21916), p. 25; Lambert DOERR (2003), p. 286; Godfrey SIEBER (2003), p. 344; Frumentius RENNER (2006), p. 1100; Hubert GUNDOLF (1984), pp. 170 sqq.

⁹¹ Ea, quae acciderant, satis bene innotuerunt, quia Bernardus Leonardusque famuli in oppido Kilwa de eventū rettulerunt atque etiam protocollum de hac re scriptum est. - *Cfr* protocollum diei 18ⁱ m. Aug. a. 1905^o (ASO, Daressalam 6). - *Cfr* etiam Linus LEBERLE (21916), pp. 23 sqq.; Beda DANZER (1938), p. 90; Hubert GUNDOLF (1984), pp. 163 sqq.; Lambert DOERR (2003), p. 286; Godfrey SIEBER (2003), p. 244; Hans-Joachim NIESEL: Mit Kreuz und Krone. *In:* Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), p. 104; Sebastian Wolfgang NAPACHIHI (1998), pp. 166 sq.; Joseph F. SAFARI (1972), p. 78; Walter NUHN (1998), p. 89.

⁹² Constat ergo Cassianum Spiss eiusque comites die 14^o m. Aug. a. 1905^o interiisse. Tamen Paulus WEISSENBERGER: Das Benediktinische Mönchtum im 19./20. Jahrhundert. Beuron 1953, p. 67 nr 409 diem 13^{um} m. Aug. indicat. Omnino autem mirum est Ernestum Guntherum LATTKA (1993), p. 16 scribere episcopum die 19^o m. Sept. a. 1905^o interfectum esse.

⁹³ memorandum, -ī n.: *cfr* Ronald Edward LATHAM: Revised Mediaeval Word-list from British and Irish sources. Oxford 1965, p. 295; Christian HELFER: Lexicon Auxiliare. Saarbrücken 31991, p. 368.

⁹⁴ *Cfr* Gustav Adolf VON GÖTZEN: Denkschrift über die Ursachen des Aufstandes in Deutsch-Ostafrika 1905 (26.12.1905), quod scriptum imerii cancellarius die 30^o m. Ian. a. 1906^o parlamento proposuit (ASO, Daressalam 6).

⁹⁵ *Cfr* Gustav Adolf VON GÖTZEN: Denkschrift (26.12.1905), p. 5 (ASO, Daressalam 6).

episcopali interfecto ceperunt, eorum numerus armorum esse aucta.⁹⁶ Opprobrium subauditur episcopum itinere suscepto atque morte suā violentā quadamtenus in causā fuisse, cur seditio novos impulsūs accepisset. Cum autem gubernatoris memorandum typis impressum eiusque argumenta partim divulgata atque in quibusdam actis diurnis iterata auctaque essent, Ottiliani putaverunt necessarium esse, ut ad eadem responderent.⁹⁷ Longo autem commentario singula opprobria repudiaverunt explicantes, cur Cassianus Spiss se iter suscipere et posse et debere putavisset,⁹⁸ et demonstrantes sclopeta episcopo interfecto ablata in oppido Liwale expugnando fuisse nullius momenti.⁹⁹


⁹⁶ Cfr Gustav Adolf von GÖTZEN: Denkschrift (26.12.1905), p. 7 (ASO, Daressalam 6). - De reliquis argumentis gubernatoris atque de aliis eius opprobriis contra Benedictinos prolatis cfr fusius infra.

⁹⁷ Cfr «Die Benediktinermission und der Aufstand in Deutschostafrika vom Jahre 1905 oder Stellungnahme über die Ursachen des Aufstandes in Deutschostafrika und Anderes» (manuscriptum in archivio Ottiliensi asservatum (ASO, Daressalam 6)). - Cum hic textus typis non esset impressus publiceque divulgatus, idem non ita innotuit ut gubernatoris memorandum atque alia scripta, quae textum gubernatoris sequebantur. Tamen commentarius Ottilianorum Germanis politicis responsabilibus erat notus. - De argumentis Ottilianis fusius cfr infra. - Ceterum exstat etiam typoscriptum diei 6ⁱ m. Sept. a. 1906^o ab P.re Dominico Enshoff exaratum, quo ad symbolam in actis diurnis quibusdam dilvulgatam respondere et opprobria ibidem prolata repudiare voluit (ASO, Daressalam 6). Sed hoc responsum in actis diurnis numquam divulgatum fuisse videtur.

⁹⁸ Stellungnahme, pp. 3 sq. (ASO, Daressalam 6).

⁹⁹ Stellungnahme, pp. 4 sqq. (ASO, Daressalam 6). - Ibīdem Ottiliani variis fontibus adhibitis singillatim demonstrare valent die 14^o m. Aug. a. 1905^o, cum episcopus eiusque comites bene mane interficerentur, oppidum Liwale iam in angustiis fuisse (quia missionarii iam priore die a profugis de hac re certiores facti sunt), quā de causā sclopeta gregi episcopali ablata ad illud oppidum expugnandum, quod itinere pedestri duorum dierum ab loco impetū letalis distabat, nihil attribuisserint. Praeterea illi seditiosi, cum secundum propria verba ad oppidum Liwale tenderent, de angustiis illius oppidi iam scivisse et gregi episcopali solum fortuito occuruisse videntur. - Ceterum - quod est scitū dignum - Gustavus Adolfus von Götzen in libro suo, quem de seditione conscripserat, omnino aliter ac in scripto memorando mirum in modum, quod attinet ad iter Cassiani Spiss, éadem argumenta exhibet ac commentarius Ottilianorum (cfr Gustav Adolf von GÖTZEN (1909), pp. 72 sqq.) - De his opprobriis eorumque repudiatione cfr etiam ex. gr. Cyrillus WEHRMEISTER (1906), pp. 227 sq.; Lambert DOERR (2003), pp. 287 sq.; Hubert GUNDOLF (1984), pp. 195 sqq.; Lambert DOERR: The Relationship between the Benedictine Mission and the German Colonial Authorities. In: Dina na mila 4, 1969, p. 3.

Tamen episcopo eiusque comitibus interfectis¹⁰⁰ calamitas missionariorum nondum erat finita. Nam cum seditio vehementer extenderetur atque eādem maximā pars regionis meridionalis coloniae affecta esset, etiam stationes



Directiones impetuum seditionis atque stationes deletae.
[Hubert GUNDOLF (1984), p. 167 (quoad nomina Latina charta adaptata est).]

¹⁰⁰ Quaestio etiam exoritur, num Cassianus Spiss (et scilicet eius comites) inter martyres Christianos numerandi sint. Difficultas quaedam hac in re certe in eo est, quod iidem verisimiliter non propter ipsorum fidem Christianam interficti sunt, sed quod erant Europaei coloris albi. Tamen etiam alia argumenta proferri possunt. De hac quaestione cfr imprimis Lambert DOERR (2003), pp. 289 sqq.

missionarias, quae ibidem sitae erant, seditiosi aggrediebantur.¹⁰¹ Itaque imprimis illae stationes, quae in valle fluvii Lukuledi positae erant, et illae, quae magis in interiore parte regionis inveniebantur, impetus perpessi sunt. Oppido Liwale expugnato inde impetus seditionis in varias directiones progrediebantur, inter quos unus in illam regionem pervenit, in qua statio missionaria Peramiho quoque sita erat, alter ad Lukuledi fluvium duxit, ubi primo ad stationem missionariam Lukuledi, deinde ad stationem Nyangao pervenisse videtur. Cum distantia inde ab oppido Liwale ad Lukuledi fluvium paulo minor esset, stationes ibidem sitae etiam ante stationes magis interiores seditione affectae sunt.

Ad missionarium stationem Nyangao die 18^o m. Aug. a. 1905^o nuntius telegraphicus ex oppido Lindi missus est, quo de episcopo eiusque comitibus interfectis missionarii certiores facti sunt.¹⁰² Paucis diebus post missionarii ab officialibus audiverunt de seditionis periculo crescente atque eis propositum est, ut ad oppidum Lindi sive ad stationem Masasi se reciperent. Tamen P. Leo Lang, illius temporis superior stationis, primo se mansuros esse constituit. Tamen seditiosis magis appropinquantibus idem die 27^o m. Aug. a. 1905^o stationem relinquere decrevit. Die autem 28^o m. Aug. a. 1905^o impetus in stationem factus et eadem prorsus deleta est, cum missionarii adhuc in propinquu versarentur. Ipsi deinde etiam in summo periculo erant, cum seditiosi eos aggrederentur, sed mirum in modum fuga eis contigit, qua sororem Walburgam Diepolder, quae vulnerata erat, amiserunt.¹⁰³ Missionarii autem reliqui ad oppidum Lindi et denique ad oppidum Daressalam se recipere valuerunt.

Similiter missionarium stationem Lukuledi die 28^o m. Aug. a. 1905^o seditiosi aggressi sunt, quae quoque hac actione deleta est.¹⁰⁴ Etiam missionarii illius

¹⁰¹ Stationes autem magis septentrionales aliam sortem habebant. Sic ex. gr. missionarii stationem Kwiyo quidem reliquerunt, quia circumcirca seditio vigebat, sed ipsa statio Kwiyo impetum non est perpessa. Stationes vero Tosamaganga atque Madibira non fuerunt in periculo, quia gentes illius regionis seditionem non participaverunt.


¹⁰² De sorte stationis Nyangao *cfr* ex. gr. Cyrillus WEHRMEISTER (1906), pp. 228 sq.; Linus LEBERLE (1916), pp. 25 sqq.; Irmengard BACHEM (1938), pp. 123 sq.; Hubert GUNDOLF (1984), pp. 178 sqq.; Sebastian Wolfgang NAPACHIHI (1998), pp. 167 sq.; Hans-Joachim NIESEL: Kreuz und Krone. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), p. 104; Frumentius RENNER (2006), pp. 1102 sq.

¹⁰³ Eadem deinde ab seditiosis inventa atque imperfecta est.

¹⁰⁴ De statione Lukuledi *cfr* ex. gr. Cyrillus WEHRMEISTER (1906), pp. 230 sqq.; Linus LEBERLE (1916), p. 27; Hubert GUNDOLF (1984), pp. 182 sqq.; Sebastian Wolfgang

loci brevi antea nuntios de seditione appropinquante acceperant. Cum statio defendi non posset, superior P. Thomas Spreiter fugam necessariam esse decrevit. Itaque īdem atque P. Paulinus Hauser per Anglicanam stationem Masasi pervēnērunt ad oppidum Lindi atque denique ad oppidum Daressalam.¹⁰⁵

Statio missionaria Peramiho deinde in initio mensis Septembris impetum seditionisorum perpessa est.¹⁰⁶ Primos autem nuntios, quos ibīdem acceperunt et qui die 21^o m. Aug. a. 1905^o illuc perlati sunt, non esse tam graves atque se




Stationis Peramiho ecclesia deleta.
[Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 247.]

NAPACHIHI (1998), pp. 168 sqq.; Hans-Joachim NIESEL: Kreuz und Krone. *In:* Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), p. 104; Walter NUHN (1998), 93.

¹⁰⁵ Fr. Meinradus Berger, cum crure vulnerato fugam vix suscipere valeret, rogaverat, ut remanere ei liceret. Ipse se abscondere potuit et ab indigenis Christianis protectus est. Denique eidem quoque contigit, ut ad oppidum Daressalam perveniret. - De fugā ex statione Lukuledi *cfr* Thomas SPREITER: Meine Vertreibung aus Lukuledi. *In:* Missionsblätter 10, 1905/06, pp. 37 sqq., 54 sqq.

¹⁰⁶ De statione Peramiho *cfr* ex. gr. Linus LEBERLE (1916), pp. 27 sq.; Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), pp. 44 sqq.; Hubert GUNDOLF (1984), pp. 183 sq.; Sebastian Wolfgang NAPACHIHI (1998), pp. 170 sq.; Walter NUHN (1998), pp. 131 sqq.; Hans-Joachim NIESEL: Kreuz und Krone. *In:* Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), p. 105; Frumentius RENNER (2006), p. 1104.

non esse in magno periculo missionarii primo putaverunt. Cum autem periculum incresceret, saltem sorores in statione Peramiho versantes ad stationem Kigonseram missae sunt. Tamen superior P. Franciscus Leuthner¹⁰⁷ stationem relinquere recusavit. Vespere diei 9ⁱ m. Sept. a. 1905^o seditiosi in stationem Peramiho incursaverunt eamque deleverunt. Captivi ad ducem gentis Ngoni, Mputa, perducti sunt. Inter illos etiam erat P. Franciscus Leuthner, qui deinde etiam interfectus est. Mors autem P. ris Francisci videtur quadamtenus ultio privata ducis Mputa fuisse. Cum enim Cassianus Spiss adhuc esset superior stationis Peramiho, bonas relationes cum gentibus circumcirca habitantibus atque cum earum ducibus instituere atque colere conatus est, id quod ei etiam contigit. P. Franciscus autem videtur nimio zelo missionario praeditus fuisse. Nam idem, brevi postquam superior stationis Peramiho factus est, dissensionem inter ipsum atque populum Wangoni provocaverat.¹⁰⁸ P. Franciscus enim ducem Mputa tugurium delere coegerat, in quo idem ipsiusque familia maiores venerari solebant. Quae erat maxima offensio (insuper



P. Franciscus Leuthner.
[Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 121.]

¹⁰⁷ P. Franciscus Leuthner erat monachus Beuronensis (in illud monasterium anno 1893^o intraverat). Quando et quomodo relationes cum monasterio Ottiliensi inierat, videtur nesciri. Tamen stabilitatem suam non ad monasterium Ottiliense transtulerat. Sed mense Martio a. 1902ⁱ ab Ottilianis in missionarium regionem Africanam missus erat. Inde ex illo tempore, quo Cassianus Spiss institutus erat Apostolicus Vicarius, Franciscus Leuthner factus erat superior stationis Peramiho. - *Cfr* Frumentius RENNER (42006), pp. 1103 sq.; Hubert GUNDOLF (1984), p. 183; Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), p. 26.

¹⁰⁸ De hoc eventu *cfr* Lambert DOERR (2003), p. 282; Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), pp. 28 sq.; Hans-Joachim NIESEL: Kreuz und Krone. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), p. 106; Frumentius RENNER (42006), p. 1104; Walter NUHN (1998), pp. 132 sq., qui solum scribit P. rem Franciscum rigidissimum adversarium idololatriae fuisse, sed causam offensionis, quae in maiorum tugurio deleto constituit, non indicat.

imprudenter facta), quā de causā nimirum gens illa indigena stationi missionariae erat infesta et inter seditionem libenter contra eandem se vertit.

Duobus diebus post stationem Peramiho, id est die 11^o m. Sept. a. 1905^o, seditiosi etiam in missionariam stationem Kigonseram impetum fecerunt.¹⁰⁹ Illo tempore plerique, qui in statione versabantur, eandem iam reliquerant. Tamen eius superior P. Iohannes Häfliger unā cum F.re Ivo Schweiger et F.re Erhardo Jäger remansit usque ad diem 11^{um} m. Sept., quo denique fugae se dare decrevit, quia impetum instare et se stationem defendere non posse animadvertisit. Eodem autem die illa quōque statio deleta est.

Sic omnes Ottiliana stationes meridionales interioresque delebantur, episcopo adnumerato septem missionarii interfecti sunt, inter quos duo patres, duo fratres atque tres sorores. Tota condicio erat incerta et illo tempore nemo de futuro cogitare ausus est.

4.3.2.2. *De sorte abbatis eiusque comitum*

Sed revertamur breviter ad abbatem Norbertum Weber et ad eius comites, de quibus iam scimus eos eodem tempore, quo seditio usque ad meridiem pervenit atque maxime extenta erat, in statione Kigonsera versatos esse.

Ut Cyrus Wehrmeister scripsit, ipse primā vice aliquid in regione Africæ Orientalis non bene se habere audivit die 25^o m. Aug. a. 1905^o, cum P. Iohannes Häfliger ex statione Peramiho adveniret atque de rumoribus narraret, quibus circa Kilwam seditiōnem quandam exortam esse atque episcopum interfectum esse.¹¹⁰ Sed nihil certum sciebatur. Decursū proximorum dierum variii nuntii allati sunt. Missionarii stationis Kigonsera tunc adhuc putaverant se domibus fortificatis stationem tenere posse. Cum autem die 5^o m. Sept. a. 1905^o tres sorores ex statione Peramiho F.re Hermanno Reifenrath comitante advenirent, omnes sciverunt pericula multum aucta esse. Itaque cum nuntii

¹⁰⁹ De statione Kigonsera *cfr* ex. gr. Linus LEBERLE (2¹⁹¹⁶), pp. 28 sqq.; Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), pp. 46 sqq.; Sebastian Wolfgang NAPACHIHI (1998), pp. 171 sq.; Hubert GUNDOLF (1984), p. 185; Hans-Joachim NIESEL: Kreuz und Krone. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), p. 106.

¹¹⁰ *Cfr* Cyrus WEHRMEISTER (1906), p. 162. - Refert idem etiam P. rem Iohannem his rumoribus primo non credidisse. - Ut Iohannes MAHR (2003), p. 117 adnotat ex Cyrilli Wehrmeister descriptione itineris primo nihil de futura calamitate praesagiri potuisse. Tamen Cyrus Wehrmeister, cum iter eventusque ex proprio conspectū chronologicē enerravisset, de seditiōne atque de periculis tunc demum referre potuit, cum de eisdem ipse aliquid comperiret. Sed inde ex illo temporis momento singillatim atque fuse de condicionibus periculosis atque de fugā rettulit,

de seditione crescente plures afferrentur, consilium captum est necessarium esse, ut imprimis sorores stationem Kigonseram relinquenter et ad Lacum Nyassam se conferrent, quae regio adhuc aliquatenus secura esse videbatur. Tamen omnes existimaverunt securitatis causā opportunum esse etiam abbatem Norbertum Weber abitum atque vitam suam servaturum esse. Eum sororesque comitaturi erant Fr. Mauritius Kröhling et P. Cyrillus Wehrmeister. Itaque hi omnes unā cum baiulis quibusdam die 8º m. Sept. a. 1905º postmeridiano tempore stationem Kigonseram reliquerunt nescientes, quid revera eos exspectaret, in directionem Lacūs Nyassae profecturi.¹¹¹ Tribus diebus post ad locum Wiedhafen in ripa Lacūs Nyassae situm pervenērunt, ad quem deinde etiam P. Iohannes Häfliger cum reliquis missionariis advēnit. Die autem 14º m. Sept. a. 1905º profugi navem vaporariam concendērunt, quā ad locum Mwaya transportati sunt. Ibīdem P. Iohannes Häfliger atque missionarii remanserunt meliora tempora exspectaturi. Sed abbas Norbertus Weber sibi ad oppidum Daressalam revertendum esse decrevit. Ita Anglicā nave vaporariā die 21º m. Sept. a. 1905º unā cum comitibus inde profectus est ad finem meridionalem Lacūs Nyassae vecturus, ubi die 24º m. Sept. advēnit. Inde variis modis iter fecit per coloniam Portugalicam Mozambicum usque ad eius portum maritimum Oceani Indici, ubi die 24º m. Oct. a. 1905º advēnit.¹¹² Inde denique nave adhibitā ad oppidum Daressalam vectus est, quo die 28º m. Oct. a. 1905º pervenit. Sic Norbertus Weber atque Cyrillus Wehrmeister et reliqui comites inde ex illo die, quo ex statione Kigonsera profecti sunt, usque ad adventum in oppido Daressalam septem septimanas in itinere fuerunt, quod difficile, laboriosum neque sine periculis erat.

His omnibus rebus expertis superatisque abbas Norbertus Weber alteras quattuor septimanas in oppido Daressalam versabatur, quia ibīdem de pluribus quaestionibus problematisque cum missionariis colloqui voluit.¹¹³

Cum primi nuntii de seditione in Africā Orientali factā et de calamitatibus missionis ad monasterium Ottiliense pervenirent, omnes scilicet territi atque

¹¹¹ *Cfr* Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 174. - De reliquo itinere etiam breviter referunt Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), p. 47; Hubert GUNDOLF (1989), p. 185; Hans-Joachim NIESEL: Kreuz und Krone. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), p. 106.

¹¹² De singulis stationibus, difficultatibus eventibusque hōc in itinere *cfr* Cyrillus WEHRMEISTER (1906), pp. 199 sqq.

¹¹³ *Cfr* Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 234.

maxime solliciti erant. Nuntii autem perniciosi de stationibus deletis atque de missionariis interfectis accumulabantur. Insuper in monasterio domestico per complures septimanas nihil de sorte abbatis audiverant et monachi ne sci- verant quidem, num idem adhuc viveret. Valde solliciti erant. Spem quandam praebuit telegraphema die 17^o m. Sept. a. 1905^o allatum, quo nuntiabatur abbatem unā cum aliis (praeter P. rem Franciscum) servatum esse.¹¹⁴ Tamen Ottilienses nihil omnino certum sciebant. Itaque iidem animos suos valde exoneratos sentiebant, cum die 29^o m. Oct. a. 1905^o alterum telegraphema allatum est, quo relatum est Norbertum Weber salvum incolumemque in oppidum Daressalam advenisse.¹¹⁵ Eo maius tamen gaudium erat, quod monachi abbatem suum die 22^o m. Dec. a. 1905^o iterum in abbatia salutare eumque sollemniter recipere valuerunt.¹¹⁶

4.3.3. De effectu seditionis

4.3.3.1. *De brevi analysi condicionum*

Postquam nunc cursum eventuum explicuimus, in nonnullas deliberationes incumbere volumus, quae ad causas conexūsque spectant. Quaestio enim exoritur, cur seditio tam vehemens exorta sit.¹¹⁷

Iam coaequales scilicet ipsā re coacti causas seditionis quaerere debuerunt. Imprimis coloniae gubernator Gustavus Adolfus von Götzen, cum praepositus regiminis colonialis esset responsalis pro omnibus rebus, quae in territorio suo acciderunt, opinionem suam protulit illā relatione officiali iam com-

¹¹⁴ Cfr Chron. Ottil. m. Sept./Oct. a. 1905.

¹¹⁵ Cfr Chron. Ottil. m. Sept./Oct. a. 1905.

¹¹⁶ Cfr Chron. Ottil. m. Nov./Dec. a. 1905 / m. Ian. a. 1906. - Cfr etiam Johannes MAHR (2003), p. 117; Cyril SCHÄFER (2005), p. 80; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (2003), p. 12.

¹¹⁷ De seditionis causis cfr ex. gr. Horst GRÜNDER (1982), pp. 229 sq.; John ILIFFE: Modern History (1979), pp. 168 sq.; Horst GRÜNDER (2004), pp. 159, 162 sq.; Ralph A. AUSTEN (1968), pp. 75 sq.; Detlef BALD (1970), p. 69; Joseph F. SAFARI (1972), pp. 84 sqq.; Hubert GUNDOLF (1984), pp. 119 sqq.; Robert I. ROTBERG: Resistance. In: Prosser GIFFORD / Wm. Roger LOUIS (edd.) (1967), p. 689; John ILIFFE: Effects. In: Prosser GIFFORD / Wm. Roger LOUIS (edd.) (1967), pp. 561 sq.; Jigal BEEZ: Mit Wasser gegen Gewehre. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), p. 73; Detlef BALD (1976), pp. 23 sq. - Mirum autem est, quod Irmengardis BACHEM (1938), p. 121 scribit seditionem scopum habuisse, quo omnes «homines albi» ex territorio expellerentur, et eandem ab Arabibus (sic!) ductam fuisse.

memoratā, quā quōque se regimenque coloniae prugare voluit.¹¹⁸ Lectoribus autem hodiernis illius textūs hōc est satis manifestum. Nam secundum gubernatoris sententiam huiusmodi seditio est reactio populi pagani nondum civilizati ad cultum civilem progredientem, cum tali civilizatione etiam postulatio laborandi coniungatur, quā condicione homo non civilizatus naturaliter non sit contentus.¹¹⁹ Insuper bella in regione coloniali gerenda pertinere ad sequelas necessarias politicae colonialis.¹²⁰ Nonnullas autem condiciones īdem enumeravit, quae ad seditionem ducere potuissent - velut varia tributa, quaedam decreta, catholicae missionis vis ad scholam frquentandam adhibita,¹²¹ labores coactivi - quae res singulae tamen, ut scripsit, fuisse minoris momenti neque ad seditionem instigandam alicuius pondēris, quamvis indigenis aliquatenus «molestae» fuisse.¹²² Gubernatorem omnino nihil de conexibus intellexisse animadvertisit ex talibus sententiis, quibus dicit «modernam coloniae administrationem Germanicam abstinere ab omni systemate exspoliationis et potius propensam esse ad talem modum, quo salutem nigritae curandam atque eius sublevationem oeconomicam nimis respiceret quam commoda Europaeorum immigrantium.»¹²³ Quae sententia

¹¹⁸ Simili scopo destinatus quōque est liber, quem īdem anno 1909º de seditione divulgavit.

¹¹⁹ Cfr Gustav Adolf VON GÖTZEN: Denkschrift (26.12.1905), pp. 2 et 10 (ASO, Daressalam 6).

¹²⁰ Cfr Gustav Adolf VON GÖTZEN: Denkschrift (26.12.1905), pp. 2 (ASO, Daressalam 6).

¹²¹ Ad hoc opprobrium, quod eis obiectum est et quod in actis diurnis quibusdam iterabatur, Benedictini commentario suo quōque specialiter responderunt praeter alia demonstrantes illam rem, de quā in relatione gubernatoris sermo fiebat, modificandam esse, cum tantummodo de regione circa oppidum Lindi ageretur et praeterea ibīdem officiales solum rogati essent, ut quibusdam discipulis dicarent, ut iterum ad scholam venirent. Cum iidem venire noluisserint, ultra nihil factum esse, quia participatio institutionis esset libera. - Cfr Stellungnahme, pp. 11 sqq. (ASO, Daressalam 6). - Cfr etiam ex. gr. Horst GRÜNDER (1982), p. 225; John ILIFFE: Modern History (1979), pp. 168 sqq.; Hans-Joachim NIESEL: Für Kreuz und Krone. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), p. 108.

¹²² Cfr Gustav Adolf VON GÖTZEN: Denkschrift (26.12.1905), pp. 7 (ASO, Daressalam 6). - Hubert GUNDOLF (1984), pp. 121 sq. recte adnotat «molestam» esse muscam vel «molestos» esse quosdam homines, sed tales regulae, decreta, poenae, quibus indigenae subiciebantur et quibus tota eorum vita prorsus mutabatur, fuisse crudeles atque inhumanas.

¹²³ Cfr Gustav Adolf VON GÖTZEN: Denkschrift (26.12.1905), p. 2 (ASO, Daressalam 6). - Similiter ex. gr. Gustav Adolf VON GÖTZEN (1909), p. 239.

praeterea erat mendacium manifestum. Generaliter autem gubernator putavit seditionem factam artē cohaerere cum mancā potentia militari gubernii, cum condicione, quā homines non civilizati cum progressū civilizationis non contenti essent et quae tamen vitari non posset, et cum tali condicione, quā pondus magicarum consuetudinum paganicarum, quas indigenae adhuc colerent, falso existimatū esset.¹²⁴ Quod seditio tantopere extenta esset atque regimine antea nihil animadvertisente erupta esset, gubernator quodammodo attribuit coniurationi cuidam «magorum».

Haec breviter hactenus de explicatione officiali. Tamen quidam coaequales et imprimis investigatores posteriores rem aliquatenus aliter viderunt. Singula puncta, quae gubernator enumervit et quae ut causas seditionis neglegendas esse putavit, supra, cum ageretur de Germanorum imperio coloniali, iam explicare conabamur. Certe non una causa sola illam seditionem evocavit, sed bene intellegitur omnes condiciones insimul consideratas mixtionem tam displosivam praebuisse, ut decursū temporis Germanicā politicā non mutata violentae actiones indigenarum vix vitari potuissent. Tamen ideologiā «maji maji» appellatā momentum attribuebatur, quo seditio vehementior facta est et quo éadem magis extendebatur. Nam effectū doctrinae, quā singulae gentes unanimiter agerent atque rixas internas obliviscerentur et quā domini alienigeni superandi essent, fuerunt magni ponderis.¹²⁵ Itaque seditio «maji maji» nuncupata erat maximā ex parte motio politica, quae contra «homines albos» et contra Germanos «dominos» directa erat. Nihilominus etiam quoddam aspectū eversionis socialis habuit (quae res tamen cohaerent), cum indigentiae indigenarum ab administratione non satis respectae essent atque iidem tractati essent ut homines inferiores.

Quia seditio erat impetus in dominatum «hominum alborum», eādem *omnes* «homines albi» affecti erant. Itaque etiam missionarii (cuiusvis generis), cum essent Europaei albi, effectū seditionis perpessi sunt. Tamen missionarii non solum fortuito erant victimae seditionis,¹²⁶ etiamsi plerique Africani bene

¹²⁴ Cfr Gustav Adolf VON GÖTZEN: Denkschrift (26.12.1905), p. 10 (ASO, Daressalam 6). - Similiter ex. gr. Gustav Adolf VON GÖTZEN (1909), pp. 242 sq.

¹²⁵ Itaque illa seditio, quamvis ut fundamentum quoddam elementa religionis traditionalis haberet, non erat religiosa. Tamen quidam aspectū «magici» in initio aliquid attribuerunt ad timorem pugnandi superandum.

¹²⁶ Hubert GUNDOLF (1984), pp. 170 sq. refert de colloquiis, quae cum Africanis praeter alia de quaestione habuerat, cur episcopus Cassianus Spiss eiusque comites interfecti essent, quamvis missionarii essent. Respondebatur illos seditiosos verisimiliter

distinguere valuerunt missionarios plerumque aliter se gessisse ac «domini Germani» eosque saepe etiam protectores indigenarum fuisse. Tamen etiam percipiebantur missionarii cum reliquis «hominibus albis» cooperari (id quod quibusdam in quaestionibus vix vitari potuit).¹²⁷ Praeterea - et haec causa certe est alicuius momenti - multi indigenae certe putabant missionarios traditionales formas vivendi, cogitandi cultūsque exercendi delere, cum Christianitas esset impetus in religionem atque mores Africanorum.¹²⁸ Itaque quod attinet ad veteres societas humanas Africanorum Christianitas vim quandam habuit, quā eaedem prorsus mutarentur.

Tota autem seditio erat indigenarum pugna ad libertatem recuperandam, quā dominatus gravis atque vix sustentabilis exterorum advenarum amoveretur.¹²⁹ Apud plures Africanos illius regionis seditio «maji maji» nuncupata ut prima

nescivisse agi de missionariis (quod insuper ex vestimentis civilibus virorum cognosci non potuit) et seditionem illo tempore generaliter ad omnes «homines albos» spectavisse. Hoc argumentum certe valet, cum agatur de caede episcopi eiusque comitum, sed non cum agatur de impetibus in stationes missionarias.

¹²⁷ Tamen causa, cur omnes Benedictinorum stationes meridionales deletae sint, imprimis in earum sitū geographicō quaerenda est, cum primos impetūs ab septentrione allatos sustinere debuerunt.

¹²⁸ Tamen plerique Africani Christiani seditionem non participaverunt. - Benedictini in commentario suo (*Stellungnahme*, pp. 21 sqq. (ASO, Daressalam 6)) se converterunt contra opprobria in relatione gubernatoris exhibita (Gustav Adolf VON GÖTZEN: *Denkschrift* (26.12.1905), p. 9 (ASO, Daressalam 6), quibus dixit asseclas missionis catholicae maximā ex parte seditioni se adiunxisse. Demonstrant autem Benedictini praeter alia numeris ipsis, quos afferunt, hōc nullo modo comprobari posse. - Exstant autem causae, cur Christiani indigenae missioni (sive protestantiae sive catholicae) fideles manserint. Nam novā fide ex tribūs regimine autocratico liberati sunt, oeconomice meliorem statum habuerunt, quia pecuniā a missione pro laboribus acceptā tributa facilius solvere valuerunt (tamen nobis obliviousi non licet illa tributa gravia indigenis a gubernio Germanico imposita esse), denique missionis politicā pacis territorialis servandae fructi sunt.

¹²⁹ Scitū vere digna est conclusio, quam Benedictini in commentario suo de seditione proferunt (*Stellungnahme*, pp. 27 sq. (ASO, Daressalam 6)). Nam ibidem explicaverunt seditionem fuisse politicam neque religiosam, cum scopus seditiosorum fuisse in eo, ut omnes alienigenos in terrā suā versantes interficerent. Nigritas seditione surrexisse, quia Europaei eis fuissent invasores, qui quietem indigenarum perturbarent. Eos nihil aliud fecisse ac Arminium, cum contra Romanos pugnaret. Eos ex perceptione suā modo nationali egisse sicut Tirolos anno 1809° atque Germanos anno 1813°. Quā opinione Benedictini rem acū tetigisse videntur.

«motio nationalis» in memoria remansit.¹³⁰ Quod autem illa motio ultimum scopum suum non est assecuta, non solum cum Germanorum maiore potentia militari cohaerebat (quae tamen definitive erat magni momenti), sed meā quidem sententiā etiam de hac condicione dependebat, quā seditiosis nulla vis centralis erat, quae rem totam praeordinavit atque direxit, et quia «programma» politicum, ut ita dicam, deerat, quo dicebatur, quid victoriā adeptā fieret (nisi veterem tribalismum restituere).

4.3.3.2. *De reactione regiminis*

Quamvis Germani in coloniā Africae orientalis victores ex pugnā discessissent, in ipsā Germaniā et in coloniā erant quidam, qui animadvertebant omnino necessarium esse, ut quaedam condiciones mutarentur.¹³¹ Tamen hōc in conexū tantummodo brevissimum conspectum harum rerum praebere volumus.

Unā ex parte in Germaniā anno 1907^o novum ministerium colonicum institutum erat, cuius primus secretarius statalis eodem anno factus est Bernhardus Dernburg (1865-1937), qui hōc munere functus est usque ad annum 1910^{um}. Idem autem, qui seditione suppressā etiam iter per coloniam Africae Orientalis fecerat, ut condiciones ibi vigentes ipse videret, modum agendi in Germanicā politicā coloniali fundamentaliter reformare conatus est.

Tamen quod attinet ad Germanicam Africam Orientalem, maioris momenti erat Albrechtus von Rechenberg (1858-1935), qui inde ab anno 1906^o gubernator illius coloniae atque successor Gustavi Adolphi von Götzen factus est. Hōc autem munere idem, qui erat primus gubernator civilis illā in coloniā, usque ad annum 1912^{um} fungebatur. Albrechtus von Rechenberg, qui politicas deliberationes generales Bernardi Dernburg secutus est, ad condiciones

¹³⁰ De hac cogitatione *cfr* ex. gr. Karl-Martin SEEBERG (1989), pp. 95 sq.; John ILIFFE: Modern History (1979), p. 191; Horst GRÜNDER (2004), p. 161; Joseph F. SAFARI (1972), pp. 90 sq.; Detlef BALD (1976), pp. 23 sq., 46; John ILIFFE (1974), pp. 299 sq. - Etiam Iulius Nyerere, posterior praesidens Tansaniae, in allocutione suā anno 1956^o ante Commissionem Quartem Nationum Unitarum factā illam seditionem existimavit responsum ad vocationem naturalem, quae omni tempore in animis omnium hominum percipitur, nempe impetus se contra dominatum alienigenarum convertendi. - *Cfr* Julius K. NYERERE: Freedom and Unity. Uhuru na Umoja. A Selection from Writings and Speeches 1952-65. Dar es Salaam 1966, pp. 40 sq.

¹³¹ De Germanicā politicā in coloniā post bellum exhibitā *cfr* ex. gr. Horst GRÜNDER (2004), pp. 163 sqq.; Detlef BALD (1970), pp. 75 sqq.; Ralph A. AUSTEN (1968), pp. 76 sqq.; Joseph F. SAFARI (1972), pp. 84 sqq.; Karl-Martin SEEBERG (1989), pp. 91 sq.; Walter NUHN (1998), pp. 203 sqq.; John ILIFFE: Effects (1967), pp. 567 sqq.

meliorandas stabiliendasque in coloniam Africanam nonnullas mutationes introduxit, quibus etiam reconciliationem cum indigenis instituere voluit. Eius autem incepta principalia erant haec: primo administrationem fundamentaliter reformare voluit, id est administrationem civilem definitive ab administratione militari separavit. Scopus huius actionis praeter alia erat in eo, ut distantia inter gubernium coloniae atque indigenas minueretur. Deinde labores coactivos, quos indigenae in praediis communibus exanclare debuerant, sustulit et quasdam mutationes ad illa praedia communia spectantes initiavit. Praeterea castigationem, quae saepe modo excessivo exercebatur, cohibendam curavit. Porro concessit, ut plures Indi in regionem immigrarent, quia hunc in modum negotiationem augere voluit. Denique - quod erat magni momenti - ampliorem administrationem propriam Africanorum instituere conatus est, quod conamen propter resistantiam repugnantiamque colonorum Germanorum in irritum cecidit.


Animadverterant ergo politici responsales aliquid faciendum esse, ut colonia stabilitaretur atque coniunctionem cum indigenis melioraretur. Videntur autem iidem quibusdam cogitationibus in bona via fuisse. Tamen mentalitas, quae dicitur, Germanorum administratorum inferiorum atque ipsorum colonorum non tam celeriter mutata est, quā de causā effectus reformationum solum lentissime percipiebatur, cum praetera nonnullae condiciones ita manserunt ut fuerant.

4.3.3.3. De regione missionaria seditione sedatā

Quod attinet ad missionarios, iisdem omnino clarum erat, quamquam tantas calamitates perpessi sunt, se pace aliquatenus restitutā opera sua iter suscep-turos atque continuaturos esse.

Cum episcopus Vicariusque Apostolicus Cassianus Spiss inter seditionem interfactus esset, eius vicegerens provicarius P. Antonius Ruedel interim eius munera suscepferat. Quidam autem missionarii - et patres et fratres - ad vires reficiendas in patriam revecti sunt. Inter illos etiam erat P. Thomas Spreiter, superior stationis Lukuledi, qui inde ab mense Novembri a. 1905ⁱ iterum in abbatiā Ottiliensi versabatur.¹³² Sed paucis mensibus post nuntius allatus est

¹³² Godfrey SIEBER: Thomas Spreiter (1865-1944), Bischof in Ostafrika (1906-1920) und Südafrika (1921-1944). In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 346 scribit Thomam Spreiter rogavisse, ut sibi in patriam reverti liceret, quia rumores vitare voluisset se successorem Cassiani Spiss futurum esse. Si res ita se habuit, tamen est agendi modus paululum mirus, cum sic rumores potius instigabantur. Alterā ex parte fortasse valde speraverat se Vicarium Apostolicum Africæ Orientalis futurum esse.



Thomas Spreiter Vicarius Apostolicus.
[Missionsblätter 10, 1905/06, p. 187.]

Prem Thomam Spreiter Vaticano decreto die 13^o m. Mart. a. 1906^o dato redditum esse episcopum atque Apostolicum Vicarium¹³³ missionariae regionis Zanguebariae Meridionalis.¹³⁴ Qui nuntius epistulā Congregationis de Propaganda Fide die 27^o m. Mart. a. 1906^o ad abbatem Norbertum Weber directā Ottilianos de hac re certiores fecit. Kalendis Maiis a. 1906ⁱ novus episcopus in abbatiali ecclesiā Ottiliensi ab episcopo Augustano Maximiliano von Lingg sollemniter consecratus est.¹³⁵ Sex septimanis post, id est die 16^o m. Iul. a. 1906^o, Thomas Spreiter denuo in Africam orientalem advēnit atque munus

¹³³ Cfr epistula Congregationis de Propaganda Fide die 27^o m. Mart. a. 1906^o ad Norbertum Weber data (ASO, A.2.2.1). - Cfr Chron. Ottil. m. Febr./Mart. a. 1906; Missionsblätter 10, 1905/06, pp. 121 sq.; Cyrillus WEHRMEISTER (1906), p. 249; Beda DANZER (1929), p. 79; Chrysostomus SCHMID: Erzabt Norbert Weber. In: Benediktinische Monatsschrift 32, 1956, p. 2; Godfrey SIEBER (2003), p. 348; Siegfried HERTLEIN: Die Entwicklung katechetischer Literatur in der ostafrikanischen Benediktinermission 1888-1968. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 156 adn. 6.

¹³⁴ Anno 1907^o Thomae Spreiter contigit, ut Vicariatus aliud nomen acciperet. - Cfr ASS 40, 1907, pp. 95 sq.: «In generalibus comitiis huius S. Congregationis de Propaganda Fide habitis, die 23 superioris mensis Iulii, Em.i Patres precibus annuendum esse censuerunt R.P.D. Thomae Spreiter, Ordinis S. Benedicti congregationis S. Odiliae ac Vicarii Apostolici Zanguebariae Meridionalis in Africa Orientali Germanica; ut nempe titulus praedicti Vicariatus mutaretur, et a civitate residentiae Vicarii, Daressalamensis Vicariatus Apostolicus nuncuparetur. Quam sententiam, ab infrascripto huius S. Congregationis Secretario Ssmo D.N. Pio div. prov. PP. X in audientia diei 7 vertentis mensis relatam, Sanctitas Sua ratam habere et approbare dignata est, ac praesens ea super re decretum expediri mandavit. - Datum Romae, ex aedibus S. huius Congregationis, die 10 Augusti 1906. Fr.H.M. Card. Gotti, Praefectus. Aloisius Veccia, Secretarius.» (Textus originaliter Latinus).

¹³⁵ Cfr Cyrillus WEHRMEISTER (1906, p. 249; Godfrey SIEBER (2003), p. 248; Missionsblätter 10, 1905/06, pp. 135 sqq., ubi fuse de hōc festō refertur.

suum officiaque ibidem suscepit.¹³⁶

Ottiliani vero regionem suam missionariam iterum reficere atque restituere coeperunt. Illi, qui in Africā manserant, non longe a stationibus suis prioribus versabantur, ut quam primum illuc reverti possent. Sic ex. gr. P. Iohannes Häfliger cum reliquis missionariis stationis Kigonsera atque stationis Peramiho ad oppidum Songea revertit, sed propter periculum adhuc existens administratores Germani eum retinuerunt, ne in statione Kigonsera, cuius superior erat, iam denuo missionem institueret. Tamen missionarii non erant sine labore, cum praeter alia et homines curarent et possibilitates restitutionis in stationibus deletis inspicerent.¹³⁷

Missionarii autem Ottiliani totam miseriam, quā indigenae bello magnā ex parte sedato atque denique finito affecti erant, participaverunt. Conati quidem sunt indigenis auxilium ferre, sed missionariis quoque fines positi erant. Ex illā miserrimā condicione interdum etiam dissensiones cum administratoribus Germanis exortae sunt, quae nonnumquam satis graves erant.¹³⁸

¹³⁶ Cfr Missionsblätter 11, 1906/07, pp. 1 sqq.; Hubert GUNDOLF (1984), p. 174; Godfrey SIEBER (2003), p. 348 (sine die exacto).

¹³⁷ Mira autem res ex illo tempore, quo P. Iohannes Häfliger in oppido Songea versabatur, refertur. Nam interea plerique duces indigenae, qui seditionem participaverant, capti atque capite damnati erant. In oppido Songea quadraginta septem duces gentis Ungoni captivi incarcerated erant, qui die 27^o m. Febr. a. 1906^o suspenderentur. P.ri Iohanni permisum erat, ut eos in carcere adiret, eis solacium afferret etiam interrogatus, num quis illorum baptizari vellet. Mirum in modum triginta unum ex illis ducibus baptismus desideraverunt, inter quos etiam ille Mputa erat, cuius iussū non solum stationes Peramiho atque Kigonsera delebantur, sed etiam P. Franciscus Leuthner interfactus est. P. Iohannes baptismatis praebitis apud captivos mansit usque ad eorum mortem. - Cfr Missionsblätter 10, 1905/06, pp. 129 sqq.; Cyrillus WEHRMEISTER (1906), pp. 246 sqq.; Hubert GUNDOLF (1984), pp. 192 sqq.; Sebastian Wolfgang NAPACHIHI (1998), p. 180; Hans-Joachim NIESEL: Für Kreuz und Krone. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), p. 110.

¹³⁸ Generaliter consensus cum administratoribus Germanis, modus cooperandi atque quaestio, quam artē cum regimine se coniunctos esse senserunt, ab singulis missionariis eorumque perceptione rerum dependebat. Nihilominus iam ex scopis diversis administratorum atque missionariorum plenus consensus revera exoriri non potuit. Tamen quaedam cooperatio atque imprimis etiam respectus legum omnino necessarii erant. Talia interdum apparebant ut plenus consensus cum regimine. Cum autem missionarii saepius sententias quoque criticas erga administrationem protulerunt, quod attinebat ad eius modum agendi cum Africanis, indigenae ipsi libenter missionarios rogaverunt, ut mediatores atque auxiliatores essent, cum ipsi questū atque difficultates cum administratoribus haberent. Itaque haec relatio satis subtilis erat et neque dici potest missio-

Exemplum quoddam speciale hōc in conexū commemorandum est. Nam P. Iohannes Häfliger magnam controversiam cum administratione coloniali habuit, cuius causā in fame exaggeratā atque in officiali modo agendi inventur.¹³⁹ Illo enim tempore magistratibus Germanis annuentibus vel etiam instigantibus in regione Ungoni irregulares locales copiae auxiliares, quae «rugaruga» appellabantur, indigenas terrore subiciebant, cum domos incenderent, cibos auferrent, agros vastarent et hunc in modum calamitatem famis augerent. Scopus erat in eo, ut reliqui seditiosi arma celerius deponerent. Tamen talibus actionibus et sontes et insontes afficiebantur, quia illae copiae

narios fuisse partes regimini oppositas neque dici potest eos fuisse regiminis sectatores caecos. Praeterea relatio inter régime et missionarios semper etiam dependebat de problemate, de quo agebatur.

Hanc quaestionem aliquatenus intricatam plerique investigatores similiter dijudicare solent. *Cfr* ex. gr. Hans-Joachim NIESEL: Kolonialverwaltung und Missionen in Deutsch-Ostafrika 1890-1914. Diss. Berlin 1971, pp. 164 sqq.; Sebastian Wolfgang NAPACHIHI (1998), pp. 183 sqq.; Hans-Joachim NIESEL: Für Kreuz und Krone. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), pp. 101 sq. sq.; Cyril SCHÄFER (2005), p. 81; Bernhard MITSCHNIK: Zur Rolle christlicher Mission in kolonialen Gesellschaften. Frankfurt/M 1980, pp. 87 sqq.

Itaque conclusiones miras exhibet Michael LEMKE: Zu Methoden und Wirkungen der katholischen Missionskongregationen in der ehemaligen Kolonie Deutsch-Ostafrika 1885-1918. In: Winfried BROSE / Ulrich VAN DER HEYDEN (edd.) (1993), pp. 135 sqq., qui ad omnes tres missionarias consociationes catholicae, quae in Africa Orientali operabantur (PA, CSSP, OSB) referens ex. gr. scribit missionarios catholicos «bene scivisse quosdam coetus Africanorum corrumpere. Hanc manifesto fuisse partem et perceptionis missionis et eorum saecularis perceptionis imperandi» (p. 135) vel multos Africanos missionem catholicam atque saecularem potestatem colonialem eandem rem esse existimavisse [quod certe verum est]. Hōc fuisse in se logicum, cum «patres non raro methodos similiter rabidos adhibuissent atque iidem non solum potestati coloniali ipsi, sed etiam eius parti militari, id est copiis tutoriis, activo modo auxilium tulissent» (p. 136) vel missionarios catholicos fuisse «defensores nationalisticos imperatoris atque imperii, oboedientiae Borussicae atque perceptionis catholicae ad potestatem spectantis» (p. 136) vel missionarios catholicos «tempore, quo imperium coloniae vigebat, non solum nuntios religiosos, sed etiam defensores atque adiutores Germanicae potestatis colonialis fuisse, quam praecipue sine iudicio critico sequebantur» (p. 139). Puto commentarium ad tales sententias unilaterales, differentias non facientes neque satis scientificas esse superfluum.

¹³⁹ De hac dissensione *cfr* Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), pp. 57 sqq.; Lambert DOERR (1969), pp. 5 sqq.; Sebastian Wolfgang NAPACHIHI (1998), pp. 179 sqq.; Horst GRÜNDER (1982), p. 248); Detlef BALD (1976), pp. 44 sq.; Hans Joachim NIESEL (1970), p. 177.

indiscriminatim agebant. De tali condicione P. Iohannes apud magistratum districtū iam questus est, cum in oppido Songea versaretur. Sed effectus solum erat responsum rigidum atque contemptionis hominum plenum.

Mense Iunio missionarii ad stationem Kigonseram reverti potuerunt, ubi P. Iohannes denuo superior erat. Sed difficultates cum magistratū Richter augebantur, quia et aediles et illi coetūs «rugaruga» appellati in ipso territo-rio stationis missionariae operabantur et cibos abstulerunt et indigenas ad labores coactivos presserunt. P. Iohannes, qui homines circa stationem habitantes protegere voluit, intercessit¹⁴⁰ et etiam epistulam acrem ad magistratum districtū scripsit accusans eum responsalem esse miseriae atque ei non licere «vitā indigenarum ludere» et praeter alia annuntians condicione non mutatā se ad gubernatorem se convertere velle. Sed magistratus scilicet meliores conexūs habuit et ipse ad gubernatorem se convertit de missionario querimonias exhibens. P. Iohannes putavit se aliquid efficere posse, cum relationem scriptam de totā re ad episcopum mitteret. Qui tamen hanc relatio-nem gubernatori non tradidisse videtur. Effectus totius rei erat in eo, quod P. Iohannes causam condicione calamitosae, quae in strategemate magistra-tuum Germanorum posita erat, amovere non valuit, sed episcopus quasi ab gubernatore coactus eum ab statione Kigonsera ad stationem Ndanda recen-ter conditam atque in omnino aliā regione sitam transtulit.¹⁴¹ Duas autem res ex his eventibus discimus: unā ex parte erant missionarii, qui sine respectū propriae personae pro salute indigenarum pugnaverunt, alterā ex parte plures administratores Germani, etiamsi novus gubernator quasdam mutationes ad condiciones meliorandas introducere cooperat, modum suum agendi non mutaverunt.

Nihilominus seditione aliquatenus sedatā vita in missionarias stationes Ottilianas paulatim revertit. In stationem Kigonseram - uti iam dictum est - monachi iam mense Iunio a. 1906ⁱ reverterunt. Tunc etiam fratres stationem Peramiho restituere cooperunt, ad quam deinde mense Octobri a. 1906ⁱ etiam novus superior, id est P. Simon Trossmann, pervenit. Statio quoque Lukuledi reaedificanda curata est, sed statio Nyangao denique derelicta est, cum ibi-dem condiciones circumiectorum non ita bonae fuissent. Eius loco statio Ndanda condita est, quae decursū temporis optimum progressum habuit.

¹⁴⁰ Videtur īdem etiam aedilibus iuvenes, quos auferre voluerunt, eripuisse.

¹⁴¹ Sed etiam ille magistratus Richter in aliam regionem se conferre debuit.

Praeterea immediate post seditionem plures aliae stationes conditae sunt.¹⁴²

Tamen missionariis maioris momenti quam aedificia erat restitutio gregum Christianorum. Itaque etiam eā de causā tam celeriter in perietīnas revertērant, ut Christianos bello dispersos denuo colligere atque homines variis modis adiuvare possent. Nam in initio missionarii ubique malas condiciones indigenarum cottidianas, quae erant sequelae belli, mitigare conabantur. Sed etiam labores usitati denuo suscepti sunt.

Bello autem finito animadvertebatur Africanos illius coloniae magis ad Christianismum se convertere coepisse.¹⁴³ Hōc quidem generaliter dici potest, sed imprimis regio Ungoni hōc in effectū significans esse videtur.¹⁴⁴ Causae vero huiusmodi augmenti sunt variae. In initio affluentia hominum certe cohaerebat quōque cum indigentiis multiplicibus ex miseriā fameque exortis. Cum imprimis multi iuvenes et pueri puellaeque vēnerint, certe etiam cogitandum est de familiis amissis discriptisque.

Magni momenti verisimiliter etiam erat, quod seditiosi vehementem repulsam acceperant, quo modo non solum structurae veterum societatum humanarum magnā ex parte delebantur, sed etiam sistema Europaeorum fortius evasisse videbatur. Hōc in conexū missionarii generaliter auxilium praebere valuerunt, cum homines adiuvarent, ut ad novas condiciones se adaptarent. Imprimis scholae factae sunt maximi momenti, quia bello finito plurimi iuvenes eruditionem scholarem petiverunt.¹⁴⁵ Praeterea in stationibus missionariis indigenae labores invēnērunt, pro quibus pecuniam acceperunt. Nonnullis autem in regionibus stationes missionariae illo tempore erant unica loca, in quibus talia opera exhibebantur. - Sed hic brevis conspectus sufficiat in praesenti.

¹⁴² *Cfr* ex. gr. Linus LEBERLE (2¹⁹¹⁶), pp. 30 sqq.; Beda DANZER (1929), p. 79 sq.; Cyrilus WEHRMEISTER (1939), pp. 48 sq.; Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), pp. 52 sqq.

¹⁴³ De hac quaestione *cfr* ex. gr. Hans-Joachim NIESEL: Für Kreuz und Krone. In: Felicitas BECKER / Jigal BEEZ (edd.) (2005), pp. 111 sq.; Walter NUHN (1998), pp. 201 sqq.; Lambert DOERR: Peramiho. I (1998), pp. 61 sqq.; Horst GRÜNDER (1982), pp. 247 sq.; John ILIFFE: Modern History (1979), p. 201; Lambert DOERR (1969), pp. 9 sq.

¹⁴⁴ Mirum in modum agitur de illa regione, in quā seditio erat vehementissima et in quā éadem diutissime haerebat.

¹⁴⁵ De scholis missionariis *cfr* infra.

4.3.3.4. *De abbatis relatione visitationis habitae*

Abbas Norbertus Weber seditione periculisque coactus Africanum iter visitationis interrumpere debuerat. Itaque - aliter ac in antecessum dixerat et aliter ac desideraverat¹⁴⁶ - non omnes missionarias stationes Ottilianas adire valuit. Tamen illis in stationibus missionariis, quas visitare atque inspicere potuit, multa iam vidit atque percepit, ita ut conspectum satis bonum atque profundum sibi acquireret. Nam in unāquāque statione circiter per tres septimanas vitam cottidianam participaverat.

Itaque Norbertus Weber post redditum suum in patriam statim relationem visitationis scribere valuit, quam iam festo Natalicio anni 1905ⁱ exaravit.¹⁴⁷ In initio autem relationis calamitatem missionis Africanae commemorat dicens se bene scire lacunas difficulter expleri posse.

Ex ipso textū tamen animadvertisit Norberto Weber maximi momenti esse Ottilianos in regione missionariā versantes sibi semper conscos esse debere se et monachos et missionarios esse. Nam - ut scribit - in vitā missionariā multā dependere de illā condicione, quā spiritus monasticus servatur.¹⁴⁸

Itaque in adnotationibus sequentibus ad singula vota monastica, id est paupertatem, castitatem, oboedientiam atque stabilitatem refert unamquamque condicionem explicans sub aspectū missionario et eas res proferens, quae hōc in conexū postulanda esse videntur.¹⁴⁹ Nam ex. gr. unā ex parte scribit pecuniam non esse inutiliter erogandam, sed cum agatur de scopo generali largiter donandam esse. In oboedientia servandā exemplum superioris, qui alicui stationi praeest, ei est magni momenti. Clausura instituenda atque respicienda est aliis aspectus, qui commemoratur. Illae res, quas abbas hic admonet, videntur ergo secundum eius sententiam non omnino optime se

¹⁴⁶ Cfr Norberti Weber epistula circularis diei 28.3.1905, p. 15 (ASO, A.3.4.4).

¹⁴⁷ Cfr Rezess der I. Visitation (1905) der Missionsstationen O.S.B. im Apostolischen Vikariat Süd-Sansibar, p. 7 (descriptio manualis in archivo Ottiliensi asservata (ASO, Daressalam 3, Z.1.03). - Johannes MAHR (2003), p. 121 et p. 177 adn. 26 tempus Natalicium anni 1906ⁱ indicat adnotans Norbertum Weber hanc relationem magnā retardatione conscripsisse. Sed verisimiliter in textūs descriptione, quā usus est, numerus sive non bene legitur sive falso descriptus erat. Praeterea Norbertum Weber relationem suam iam tempore Natalicio a. 1905ⁱ scripsisse clare apparent ex epistulā Congregationis de Propaganda Fide die 3º m. Mart. a. 1906ⁱ data, quā abbatii gratiae aguntur pro relatione visitationis missā (ASO, Daressalam 3 (Z.1.03)).

¹⁴⁸ Cfr Rezess der I. Visitation, p. 2 (ASO, Daressalam 3, Z.1.03).

¹⁴⁹ Cfr Rezess der I. Visitation, pp. 3 sqq. (ASO, Daressalam 3, Z.1.03).

habuisse.¹⁵⁰

Imprimis autem abbati cordi est principium familiare, quo quōque monastica vita Benedictina constituitur.¹⁵¹ Itaque ille spiritus concordiae atque unitatis ubique animadvertisatur oportet. Caritas fraterna non solum in propriā cellā sive statione, sed etiam erga omnes sodales Congregationis exerceri debet. Hac in re praesertim superioribus stationum attente agendum est.

Hōc in conexū abbas duo puncta specialiter affert.¹⁵² Nam alicuius momenti ei esse videntur epistulae circulares atque chronica, quae inter stationes commutentur et etiam ad domum matricem mittantur. Talibus enim scriptis spiritus unitatis fortificatur. Deinde abbas adnotat principio familiari non bene convenire, quod nonnullis in stationibus tantummodo unus pater atque unus frater operantur. Optandum ergo est, ut talibus in locis numerus aug-geatur, cum hunc in modum etiam effectus missionis maior fiat.

Ipsa verba abbatis, quibus in relatione utitur, sunt - sicut eius mos est - mitia neque reprehensiones profert. Tamen bene illa puncta animadvertisuntur, quae memoranda esse putavit et quae specialiter ei cordi erant. Praeterea hōc textū quaedam iam proferuntur, quae ad Norberti Weber latiorem perceptionem missionariam spectant et quae aliis in scriptis fusius atque exactius exaratus erat.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 188, 2012, pp. 193-242]

¹⁵⁰ Tamen etiam concedit in regione missionariā plures exceptiones necessarias fore quam in monasterio domestico. - *Cfr* Rezess der I. Visitation, p. 2 (ASO, Daressalam 3, Z.1.03).

¹⁵¹ *Cfr* Rezess der I. Visitation, pp. 6 sqq. (ASO, Daressalam 3, Z.1.03).

¹⁵² *Cfr* Rezess der I. Visitation, p. 6 (ASO, Daressalam 3, Z.1.03).